14. 1. 1605

R
2909

R M
216

Febris Maligna. B.

Maximum Indicium est subitaneus virium lapsus, horripilatio frequens, et nocturna mali exacerbatio, dorsi et lumborum dolores ac pruritus supervenire solent.

Ortum habet l. à circulantium humorum textura magis dissoluta et confusa, tunc æstus summus, sitis Tantalea, Cephalalgia mixta, delirium, alvi fluxus, hæmorrhagia p. l. Coagulata magis, in iis vix percipitur neq sitis, neq calor, d. dia potius languent, et deliquium ac l. syncope accedunt, sensus obtusi et stupidi redduntur. Dolaeus.

M
216

Prognosis generalis.

In omnibus febribus æq malignis ac continuis, Tussis humida bonum signum præbet, item si vaporosa sit cutis.

Surditas in principio malum: in statu salutare.

Motus tremulus manuum et linguæ funestus: Narium stillicidium Cardialgia, apepsia, oculorum inflammatio, Ut: Si ægri floccos lecti carpant, raro evadunt.

Febris Petechialis

Diagnosis. Subitaneus virium lapsus: Praecordiorum anxietas: Jactatio corporis: maculae diversae, ~~colo~~ rubicundae, lividae, tenues virides nigricantes et caeruleae hinc inde in corpore praecipue in dorso, pectore et cruribus erumpentes, ad lentium figuram: Dolores dorsi et corporis lancinantes ante eruptionem observantur.

Prognosis.

Si maculae et petechiae retrocedant, lethale: Si in principio lividae a nigrae, idem judicium esto.

Die IX. l. X. apparentes cum signis coctionis et virtutis robore adeo malae n. st. semper. d. vitae praeconies. Dol.

Febris Castrensis et Hungarica.

Diagnosis. Semp hbt Capitis Dolorem conjunctum, Calorem æstuantem, Dolorem punctorium in abdomine, imo Lingua instar ligni usti arida, aspera, nigra, cum siti extinguibili. Vigiliæ adsunt continuæ, somnus profundus, Cephalalgia exquisitissima, Delirium.

Si Linguæ Nigrities adest, et Asperitas in primis urget, tunc Prunella Germ: vocatur die Bräune. Si Cephalalgia et Delirium: die Hauptkrankheit. Si exanthemata erumpunt das sittige Flecke Fieber. Et hæc e in plurimis Lethalis ob horrenda np. Symptomata; Cardialgiam, Singultum, respir: difficultatem, Cordis motu tremulu, Lipothymiam, Somnu turbulentum, gustu et auditu læsionem, Stridorem dentium.

Purpura Maligna et Benigna.

l. rubra l. albicans

Diagnosis: Cognoscitur ex Anthematibus rubris, sub milii granorum specie erumpentibus in corporis peripheria. Germ: der weisse u. rothe Friesel. Ortum sumit cum horrore plus minus notabili, crescente morbo crescunt. Symptomata sc: anxietas circa pricordia, aestus, sitis, Cephalalgia, tussicula continua, Dolor in Dorso exquisitus, et punctiones sub Cute valde st. molestae.

Febris Catarrhalis

Diagn: ex Calore et frigore alternatim recurrente. Cn tn. adeo sensibiliter qm circa vesperam; Comãdunt simul Dolores artuum, Cephalalgia, et iurdum ipsa Phthisis, cum maculis rubris in pectore et Dorso.

1265.

MEDICINALIVM OBSERVATIONVM LIBRI TRES.

Quibus notæ morborum omnium, et quæ de his possint haberi præsagia, iudiciáque, proponuntur.

Autore Iodoco Lommio Burano.

Ad amplissimum Ordinem Senatorium Reip. Bruxellanæ.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA GVLIELMI SYLVII TYPOGRAPHI REGII:
M. D. LX.
CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTH: ACADEM: DORPAT.

PRIVILEGII SENTENTIA.

LITERIS *Regijs cautum est Guilielmo Syluio typographo suo, & Christophoro Plantino, ne quis has Medicinales Obseruationes Iodoci Lommij Medici Bruxellensis, proximo quadriennio imprimat, néue alibi impressas, vllo modo vendat: qui contrà fecerit, pœnis ex sanctione multabitur. Datum Bruxellæ, 24. Februarij. Anno, 1559. Stilo Brabantiæ.*

Ph. de Lens.

41-V A
13403

i 21776924x

AMPLISSIMO ORDINI SENATORIO REI P. BRVXELLANAE IODOCVS LOMMIVS S. D.

CVM OMNES ARtium Professores liberaliũ has ipsas pro virili quisque sua diligenter versare, & in vsus accõmodare hominum, tum præcipuè Medici debent. Hi enim salutarem illam ac propè diuinã agitant artem, præsidem sanitatis humanæ, sine qua nihil in vita suaue, ne magnis quidẽ esse Regibus potest. Id ego institutum viri ornatissi-

mi & ſpectaui ſemper maximè, & fui nauiter ſecutus, tum curationibus ægrorum meorum, tum in publicum euulgatis ſcriptis, hinc adeò futurum arbitratus, vt ipſos etiam poſteros, non tantum ſuperſtites, meo mihi beneficio demerear. Ergo modò (quoniam ſanitatis tuendæ præcepta abundè aliàs tractaui) ægrotantibus conſulere hoc opere propoſui, eam amplexus Medicinæ partem, quæ notas morborum omnium, itemque prædictiones, atque cenſuras, quæ de his haberi poſsint, continet. Videtur profectò ea meditatio potiſsimùm, cùm ad ægri ſalutem, rectamque curationem, tum ad Medici fidem atque dignitatem ſpectare. Primùm enim, quia nouiſſe morbum proximus eſt ad ſanitatem gradus, nemo ſanè hanc aut præſagire, aut reddere afflictis rectè poteſt, qui non animaduertere genus ægritudinis quod ſit, non eius euentũ omnem prænunciare, certis indicijs norit. Contrà verò prudenter curationem inſtituet, & admirabilis apud omnes homines gloriam conſequetur, ſed & ægri vtetur in omnibus

bus obſequio, quiſquis ſignorum inſtructus adiutusque cognitione, primò morbum noſcere, atque ægris, ſi videtur exponere, dein eius prædicere durationem, omnemque euentum poteſt: ſic, vt ſi conualeſcere poſſe homo videtur, reddita curationibus ſanitate, laus Medico comparetur: ſin minus, præſagio vitetur calumnia. Sed eſt ea magni operis res, & ab vno, puto, Hippocrate ex profeſſo literis agitata. Itaque fit, vt quemadmodum libenter ea negligimus omnes præcepta, quæ ſedulitatem exigunt: ſic huic Medicinæ parti quam proponimus, minimum propè laboris à noſtris hominibus detur. Nam multis ſatius eſt compendia quædam medendi quærere, & his cumulare opes, atque miſerorum cædes miſcere, quàm longis ſudoribus, indefeſſaque mentis intentione morbos ſtudere cognoſcere, atque æſtimare, ac tum primùm his ipſis incolumi conſcientia auxiliari. Fit adeò ex ignoratione rerum harum, vt temerè illi vel in rebus deploratis ſalutem promittant, vel in ſecuris omnia metu terroreque com-

pleant. Memini ego complures me videre haud infimæ notæ Medicos, qui per acutam febrem, etsi multa essent virium infirmarum, atque exitij signa verisimilia, magnificis tamen salutis promissis, (quoniam id fortè temporis vrina vtcumque maturuerat) miseros consolarentur. Verùm pòst vt morbi exitus ægro calamitosus, ita ignominiosus Medico erat. Plures his sunt, qui cùm febricitantem vident sub grauissima accessione desipere, & loqui aliena, simulque brachia & pedes nudare, ac variè spargere, tum è cubili magno impetu, magnisque vocibus exilire, verberare proximos quosque, neque necessarios, neque familiares agnoscere, caloribus extorreri, acutissimis doloribus affici, ac siti propè enecari, hæc, inquam, cùm vident, concocta quantumuis naturæ viribus ea vnde morbus est materia, exterrentur, & more pauidarum mulierculorum ad extremum rem rediisse omnem, pronunciant. Verùm facessentibus per iudicationem (κρίσιν Græcè dicunt) turbis his illico resolui morbus incipit, ac vani

metus

metus leuari, magno falsi præsagij contemptu. Atque hinc sciri potest, nullum operæprecium in curationibus morborum fieri à Medico posse, sine hac tam necessaria, tamque plausibili prædicendi arte. Eam nos, Viri amplissimi, tribus Libris qua potuimus breuitate, compræhendimus, vt communem rem ægrotantium, ac præcipuè Ciuium vestrorum, hac in parte, iuuaremus. In quo negocio quanta vsi simus diligentia, atque industria, aliorum esto iudicium. Nos certè, quod licuit, præstitimus. Nec diffitemur clarorum scriptorum ingenijs, maximè verò antiquissimi Hippocratis multum nos adiutos esse. Quæ res adeò vicio verti non potest, vt etiam dignitatem, fidemque nostris monumentis pleniorem sit allatura. Sed quoniam morem apud scriptores sæculorum omnium obtinuisse video, vt magnorum virorum patrociniũ scriptis asciscant suis, eum ego ipsum quoque secuturus morem, haud aliunde rectius opem mihi hanc præstari posse iudicaui, quàm ab amplissimo spectatissimoque consessu atque Ordine

vestro, sic sanè vt quorum commodis hic meus seruiet liber, eorum is fultus autoritate atque fauore in lucem, & in manus hominum exeat. Quos enim ego potius exoptem mihi nunc, quibus hoc opus nuncupem, dari? Vestri nominis dignitas atque splendor Ciuitatis, sed & priuata alioqui quæ mihi cum multis vestri Ordinis Viris Doctissimis intercedit amicitia, fecere, vt ingens mihi incesserit cupiditas, imò animus exarserit, lucubrationes has sub Vestri Nominis auspicijs euulgandi, sempiternæque (vti spes est) posterorum consecrandi memoriæ. Quamquam veniam mihi cupiam à vobis dari, si fortè nimium confidenter, ne dicam licenter, tenuia hæc, ac parum speciosa attulisse videbor. Quis enim nescit non nisi maxima consecrari tantæ Reip. oportere, quanta nihil est illustrius atque splendidius. Dico hoc, Patres conscripti, summo iure, meritoque Ciuitatis vestræ, cuius ornamenta nunquam æstimare animo pro dignitate, si velim, possim, nedum oratione consequi. Attamen cùm vndique hic qua-

quadam occasione ingens sese ingerat laudis materia, non potui temperare egomet mihi, quin pleraque sequerer scribendo tantæ Reip. decora. Et quidem laudes mittam, quæ ab antiquitate ciuitatis, à robore, à legibus, atque institutis duci maximæ possunt. Id enim non huius esse loci, sed ad aliarum artium attinere professores existimaui. At quod nostri magis instituti est, id sequar, commoditatem & salubritatem loci huius, ipsamque amœnitatis decorisque plenam faciem scripto celebraturus. Toto Oriente atque Meridie montibus, non nimium altis, ciuitas insidet, sensimque in Occasum sese, & in Septentrionem, donec tota fiat humilis, explicat, amœnissimum contemplantibus aspectum præbens. Nam altioribus locis, quæ vndequaque videre est molimina ædificiorum atque templorum. Stat præcipiti colle magnifica D. Gudulæ ædes, duabus in fronte superba turribus. Paulò altius, ad Meridiem, Regis eminet palatium: quod ipsum omni dehinc parte turritis Principum ædificijs longè lateque

ad

ad ipſam vſque Ciuitatem humilem cingitur : vbi huc oculis ventum eſt, ante omnia ſeſe ſpectantibus offert publicã ciuium domus. Ea modis omnibus ita abſoluta eſt, vt nullam tota prouincia habeat ſecundam. Quid ! quòd lympidiſſimis numeroſiſsimisque fontibus non ſolùm foris antè ponéque circundatur, ſed interius etiã alijs inferius poſitis, alijs iuxta Procerum cœnaculum ad triginta quaſi pedum altitudinem euectis, adornatur. Iam autem medijs domus tectis turris exurgit prodigioſæ excelſitatis, ſaxis ad ipſum vſque pyramidatum faſtigium artificioſè laboratis iunctisque firmata. Huic faſtigio æneus inſiſtit Michaël, Vrbis Patronus, quem nemo ſine ſtupore (tantæ molis cùm ſit) vento verti inconcuſſum aſpicit. Opus apprimè arduum, & ingenijs hominum noſtrorum propè ſuperius. Porrò hinc circumcirca conſpicari eſt ingentia Diuorum templa operoſis eminentia turribus. Mediæ inter hæc cernuntur confertiſsimæ Ciuium domus, ſplendoris operisque plenæ. Poſt has qua parte Oc-

te Occaſus atque Septentrio eſt, in prata lætiſsima oculis aduſque mœnia decurritur, ea vbique obiecta rerum facie, qua nihil cerni iucundius atque venuſtius poteſt. Liceret modò interiora Vrbis propius intueri, atque ex his ducere laudes, niſi ea infiniti operis res eſſet. At inuitat imò cogit ſcribentem me, quod (miſsis cæteris) maximè memorabile reticere nullo modo poſſum. Cunctam prope Ciuitatem ſaluberrimis fontibus irrigari, perenni ſcaturigine manantibus, non modò his qui in publico numeroſi ſunt, verumetiam priuatis, qui infiniti. Iam verò vt intra mœnia ſplendoris omnia eſſe plena demonſtrauimus, ita extra quoque nihil eſt, quod non ſumma voluptate afficiat ſpectantem. Hîc in omnem penè regionem montes non nimium alti, neque vllis moleſti crepidinibus excurrunt, frumentorum omnis generis feraciſsimi, lætiſsimarum vallium interſtitio latè diſsiti. In his vallibus armentorum greges, & piſcibus referta ſtagna, vt contemplantibus faciem voluptatis plenam, ita ſummos oppida-

pidanis vſus præbent. Quid verò ſyluam commemorem,quæ medio à Ciuitate miliari ad Meridiem vaſtiſsima denſiſsimaque occurrit. Summa hîc ciuibus lignandi facultas, ſumma venandi Principibus aulæ datur. At contraria parte,quæ extra muros ad Septentrionẽ eſt, quanta amœnitas pratorum,paſſo æquore ad ipſius vſque Viluordiæ portas, ſeſe explicantium! Medius in his humili alueo Zinna labitur fluuius,& iuxta hunc nouarum viſuntur foſsionum molimina, firmo vtrinque ſepta aggere. Pulcherrimũ me hercle ſpectaculum, virentiſsimam planiciem duplicibus aquarum ductibus interſectã adornatamque videri.Hæc iſta ciuitatis veſtræ ornamenta non ſine cauſſa iam inde ex tam longo æuo primùm impulere Brabantiæ Duces, atque hinc Imperatores, potentiſsimos orbis monarchas, vt hunc ſibi locum,totius Belgij noſtri amœniſsimum, atq; commodiſsimum, commorandi cauſſa,delegerint. Simulque ſuum hîc quoque eſſe Cancellariũ,ſupremum Brabantiæ Magiſtratum iuris dicendi cauſſa

volue-

voluerint, vt quæ modis omnibus est florentissima, hoc quoque nomine florentior Ciuitas esset. At vna res vobis Patres, conscripti, ad cunctam felicitatem visa est defuisse. Nam cùm Antuerpiæ, nominatissimi Europæ Emporij, frequentatio penitus sit necessaria, constat tamen hanc nequaquam facilem esse posse. Scilicet vestri fluminis nimium anfractuosi, ac magnis locorum spacijs hàc illàc se intorquentis caussa factum est, vt nõ nisi plusculis diebus, molestissimoque itinere vltro citroque liceat nauigare. Itaque cùm cæteris partibus floreatis omnibus, hac sola laboratum à vobis fuit. Ergo ingens opus, & apud omnem posteritatem memorabile aggressi, iter vobis ad ipsum Schaldim, altissimis latissimisq; fossionibus, incredibili sumptu, atque solertia, quinque grandium miliarium longitudine patefecistis: quodque negare natura loci videbatur, vixque absolui magnorum Regum thesauris posse, id vos industria vestra, vestrisque opibus prudenter incepistis, constanter promouistis, fœliciss imè iam totum

tum propè confectum dediſtis. Sentiunt profectò virtutum æmuli veſtrarum, ſentiunt, inquam, & oculis iam nunc cernũt rectis conſilijs inſtitutas has foſsiones eſſe. Reputate, quæſo, nunc, Patres conſcripti, apud animos veſtros creſcentem ex hac re opulentiam celebritatemq́; Ciuitatis huius veſtræ, quam breui videmus mercibus frequentari ab omni Oceani noſtri littore aduectis poſſe. Quantæ verò voluptati omnibus fuerit nauibus has aquas onerarijs & ratibus perpetuò ſollicitari, & intra & extra mœnia cernere. Ergo veſtri facti huius ſempiterna in animis Ciuium fuerit collaudatio, dulcisq́ue memoria, floreburtq́ue eminentiſsima hæc veſtri nominis inſignia, quæ adeò non poterunt vlla vetuſtate obliterari, vt ſpacio maius indies iucrementum apud poſteritatem ſint conſecutura. Sed modum finemq́ue facio viri ampliſsimi veſtræ Ciuitatis atque virtutis commemorandis ornamentis, quæ ſic iam laudibus florent ſuis, vt noſtra prædicatione parũ videantur acceptura ſplendoris, diſertioribus hominibus, à quibus

plenè

plenè celebrentur, digna. Quapropter vestræ etiam fuerit humanitatis condonare, si parum pro tanti Ordinis dignitate præstitisse videbor. Aequitas animorum vestrorum valebit, nostramque boni consulet tenuitatem, magna animi erga vos fretam promptitudine. Quod si factum, vti confido, à vobis erit, maiorem nobis alacritatem, studiumque scribendi maius inijcietis. Nam vt modò notas atque præsagia proponimus morborũ, ita fortè & causſas horum, & curationes olim dabimus.

Valete.

Bruxellæ, 26. Maij.

* *
*



MEDICINALIVM OBSERVATIONVM LIBER I.

QVO MORBI, QVIBVS TOTA OCCVPANTVR CORPORA, ANIMADVERTVNTVR.

OBseruationes scripturus medicinales in noscendis æstimandisq; morbis necessarias, rectè ab ijs incipere vicijs posse videor, quæ totis corporibus inhæresc unt. Ex horum ordine viciorum frequentissimum, & generi hominum iniuicissimum, febris est: adeò, vt quorundam literis proditum sit, nunquam quenquam, nisi si violenta morte raptum, sine eo morbo vitam amisisse. Ergo à prima origine rem aggrediar, primumque id genus febris ponam: quæ, quia vno die finitur, Græcis ἐφήμεραι nobis diaria appellata est. Ea autem his sese notis profert. Mitis toto in corpore calor est, qualis in iratis hominibus percipi, aut vino fartis solet. Pulsus arteriarum (quod profectò huic febri propriũ est) protinus à magnitudine incipit, idemque vt modicè celer ac frequẽs, ita æqualis & mollis, & iusti ordinis pro modo naturæ est. Nihil etiam aut certè parum vrina demutatur. Ipsum verò morbum nõ cibi antecedit fastidium, non spontanea corporis lassitudo, sed neque grauior somnus multáue oscitatio, neque horror: verùm repente totus semel is accedit, nulloq;

Ephemera

Febris diaria.

grauiore incommodo, vbi iam esse cœpit, molestus est, dolorem intelligo capitis atque ventriculi, itemque nauseam, æstum, corporis inquietudinem, & huiusmodi. Soluitur malum interdũ latenter sine sensu manifestæ inanitionis, sæpius per copiosos tum halitûs, tum madores, aut certè per sudores vt suaues, sic minimè multos. Scire etiam licet diariã febrem semper ferè à caussis moueri euidentibus, vigilia, sollicitudine, mœrore, ira, æstu solis, lassitudine, temulentia, inedia, & similibus, eandemque vnico finiri die consuesse, quẽ diem si transit, tertiumque superat, iam tum diariam esse desinere, in putridamque, quæ mox proponetur, abire. Sub eo casu si vehementer corpus siccum est, timeri etiam hectica febris potest. Diariam omnem curasse quàm nouisse facilius est. Itaque ferè sequitur, vt hæc ipsa prius nocere possit, quàm sciri. Eadem biliosum hominem negocijs deditum, & promptius, & maiore periculo afficit.

Prognos.

Ad hunc quoque locum pertinere ea febris videatur, quæ diariæ seruans naturam propter sanguinis non putrefacti feruorem, multum ardoris, ruborisque corpori exhibet. Græcorum nonnulli συνοχὸν dixerunt, nos cõtinentem non putridam. Hæc quidem easdem quas putrida notas, at paulo euidentiores exhibet. Quanquam hîc etiam caput vel dolet, vel graue est, corpusque omne, ac præcipuè facies vehementer rubet, caletque. Adhæc altior occupat somnus,

Febris continens, non putrida.

Diagnos. conf. p. 12. b.

α) vocatur hinc Epacmastica Ephemera: In hac adẽ calor vehementior, capitis dolor pulsans, sitis magna, oris amaritudo, nausea, vomitus, inappetentia, Linguæ scabrities, et durities, artuũ lassitudo, somnus profundus l. vigilia, respiratio concitata, pulsus celer, facies rubra, tumida, et arida.

β) Transit l. in synocham sine putredine, in corpore juvenili et plethorico: l. in putridam die 4to l. 5to, in cacochymico: l. in hecticam, in corpore calido, sicco, raro; Jonston.

hinc Ephemera plurium dierum dr Jonstono.

Gravitas circa frontem ac tempora: Narium quidam pruritus: Cutis mador cum membrorum distensione. Jonst:

Robusta corpora magis corripit, l. temperata, l. calidiora, l. humidiora, ætatis mediæ, habitus carnosi ac vere quadrati, nisi in aliam transeat. gf. p. 2. b.

Una solito crassior et rubicundior.

Prognos. Solvitur in rdum sudore l. hæmorrhagia narium copiosa, intra quartum a. ad summum septimum diem, nisi in signi aliquo errore l. medicus, l. assidentes commiserint, in putridam abeat.

In genere ex Jonstono.

Invasio cum horrore et rigore.

~~calor ab initio n acris ppt suffocationem, in augmento mordax.~~

Difficilis respiratio: Capitis dolor: appetitus dejectio.

Una ab initio in rdum biduo quum ndum putredo invaluit, Senum i multo dissimilis, d. postea crassa.

Ad.

Ad. XI. et XIV. diem extendi potest, plures in moriunt XXmo die.

Sudore l. aliqua excretione levatur.

nus, multum arteriæ in temporibus mouentur, ipsa spiratio molesta est, pulsusq; magnus, & plenus, & frequens, & velox, totum denique corpus segnescit, & quadam veluti lassitudine occupatur.

Sign. pathognom.

Venio nunc ad eas febres quæ succorum implicitæ sunt putredini, ex quibus primum ea proponetur, cui caussam putrefactus sanguis dedit. Græcis ea perinde atque superior σύνοχος nobis autem continens putrida appellata est. Signis quidem hęc febris, quibus ea quam proximè dixi, ijsdem, sed manifestioribus sese profert. Verùm acrior subest calor putredinis comes, guttur, & quæ juxtà sunt loca exturgescũt æstuantq́ue, vnde præpedita ægro oratio est: adhæc oculi calentibus implentur lachrymis, venterq́ue nonnullis intumescit, & percussus, vt tympanum, sonat. Ipse pulsus, magnus, vehemens, celer, & frequens, vt in priore Synocho est, at hic etiam est inæqualis, in priore nõ est. Vrina crassa meitur, rubra, turbida, sedimento carens. Non sæpe etiam exanthemata per corporis summa efflorescunt, vt aliàs alia, sic frequentissimè vel liuida, vel nigra. Id malum ferè post quartum diem esse desinit, & si quidem continẽter increscit, periculum afferre vitæ potest, vtique si jam aspera lingua, nigraq́ue est, si refugiunt oculi lucem, si vrina vt nigrum vinum obscura est. In quo hæc non sunt, ipsaq́ue febris magis magisq́; decrescens mitescit, is potius esse in tuto videtur. Quum

putrida continua

Continens putrida. p. 12. b.

Diagnos.

gf. B. et f. 103. a.

Prognos.

autem morbus æquali ſemper impetu fertur, ſecurior quidem is erit, eo qui increſcit, grauior autem eo qui declinat. Quæ obſeruatio in continente etiam febre, non putrida habenda eſt. Scire autem licet vtramque Synochum, non niſi temperatæ naturæ hominibus, & ſanguine non malo plenis, ſimulque carnoſis, accidere conſueſſe. Facilis quoque à continente non putrida in putridã, & ab hac rurſus in continuam tertianam tranſitio eſt.

Febris continua.

Sequitur id genus putridæ febris quæ Græcis συνεχής nobis continua dicitur. Synocho putridæ acceſſionum continuatione affinis, ea tamen re diſſimilis, quòd hæc ab alterutra bile aut pituita profecta eſt, quodque pro horum natura atque motu humorum circuitus habet, quibus etſi non omnino ceſſat, remittit tamen, & quietiora tempora afflictis præſtat. Synochus verò ex ſanguine oritur putrefacto, nec vllam remiſſionem ad morbi vſque iudicationem præbet. Porro continuam febrem neque horror aliquis, neque rigor, neque frigus antecedit, ſed tota ea repente calore hominem adoritur, quamquam non raro rigorem aut horrorem corruptus humor circa præcordia conſiſtens, tantiſper mouet, donec totus quoque à febre incenſus ſit. Semper autem calor acris atque aſper eſt, idque magis increſcente acceſſione atque conſiſtente. Ipſa reſpiratio, itemque pulſus inæqualis eſt. In eo enim velox contractio, diſtentio tardior eſt. Idem pulſus, modò celer,

Difficilior curatio, si nullius evidentis causæ vi, sub noctis et somni finem excitatur. Si extremos statim labores habet, et sævis symptomatibus excipitur. Si ei fluxus alvi, initio magnus, vires dissolvens invenit.

contundens dolor ægrorum lumbos et dorsum artusque satis frequenter quassat.

primis diebus non potest cognosci nisi 30. demum. Galen. Si nullam habeat exacerbationem. e.g. in variolis et morbillis. Jacchinus. Quæ fatura sit species hominis in vicinia febribus correpti ostendunt. sc: Utrum Hungarica, an Retechiali, Pestilentiali l. simplicis.

celer, modò tardus est: itemque modò validus, modò languidus: vt primùm incipit accessio, velox is atque paruus: in vigore supra velocitatem etiam, egregiè magnus est. 4/ Vrina initio crassa, rubra, ac turbida est, ac neque nubem, neque suspensum quid, neque sedimentum habet. Eadem interdum tenuis quoque, sed rubra, & minimè perspicua est. 5/ Quicquid denique aliqua parte corporis vacuatur, siue sudor id fuerit, siue alui proluuies, vel vrina, fere graui odore molestum est. Continua, tum cotidiana, tum quartana ferè incerta, atq; ordinis expers esse solet, sic vt alio die bis, ter' ue efferuescat, alio id nõ nisi semel, aut certè prorsus non incidat. Continua 2/ quartana rarissima est, hac minus rara cotidiana. Tertiana quæ nobis ardens febris Græcè καῦσος dicitur, omnium est frequentissima. Ea his signis noscitur. Summo 1/ incendio corpus extorretur, idque intus magis quàm foris. Accedit 2/ pertinax vigilia, & 3/ profundior interdum somnus. 4/ Lingua arida, & crassa, & aspera, subnigraque & amara est. 5/ Spiritus difficilimè trahitur, 6/ incipit affici morsu stomachus, 7/ cibique cupiditas perit, vehemens tum 9/ sitis, tum 9/ æstus præcordiorum est. 10/ Aluus alijs soluta, alijs compressa est. 11/ Ipse æger penitus inquietus morbum malè sustinet, 12/ frequentique subinde delirio perturbatur. Hoc febris genus quoniam summè vehemens est, breui finitur. Itaq; si protinus ab initio signa exhibet bona, plerisque omnibus quarto die soluitur, nullis

Prognos.

Febris ardens.

Diagnos.

Prognos.

post septimum manet. Tum verò aut vomitio fit, aut aluus profluit, sudorúe ex omni corpore, aut sanguis è naribus fertur. Senib⁹ hic ipse morbus, vt infrequẽs, sic apprimè perniciosus est. Tutius & sæpius iuuenes sic laborant. Febris ardens non rarò in pulmonis vertitur inflammationem, idque vbi fit in propinquo exitium est. Tum in hoc morbo, tum in alijs continuis febribus graue esse periculum significatur, vbi aurigo ante septimum diem oritur, aut vbi quis ante materiæ concoctionem inhorrescit, magisque si vis corporis admodum infirma est, vbi post rigorem æger non recalescit, vbi continua vigilia, vel sopor, vel delirium est, vbi vox intercipitur, aut aures obsurdescunt, aut collum vehementer dolet, præcipuè in his quibus procliuis insania est, vbi æger quid accepturus manibus tremit, vbi vehemens sitis, simulque ingens corporis squalor est, aut vbi lingua nigricante, totoque ore præsicco, nulla hominem sitis vrget, simul os præter consuetudinem malè olet, vbi singultus incidit, præcipuè post citam aluum, aut post sanguinem sine modo effusum, vbi puero venter nihil reddit, nullusque accedit somnus, sed & colorem is ipse sæpe mutat, continenterque plorat. Siquidem huic proxima distentio neruorum est. Vbi cum acuto capitis dolore præcordia reuelluntur, neque tum sanguis è naribus fertur, aut vbi hũc casum biliosa aluus, aut tormina, itemque coxarum, vel genuum dolor, neque comitantur,

Periculi signa in continuis febribus.

Febres ardentes die 14. a. liberando a. pimendo decernunt. Cysel

Pulsus debilis dubii eventus: Quo rubicundior ⊏a et tenuior, eo pejor. Solvit variis excretionibus, præcipue Rigore, die Critico, signis coctionis apparentibus, supervenientes: Rigor pronuncius excretionis ē. Jonston.

Surditas in principio apparens malum, in statu v. salutare ē. Dolæus.

a) Sæpius n funestum se observasse testatur Dolæus.

Alvus adstricta in febribus malignis melior ē laxa, laxa n. quamvis in minima copia, tn. angrem in sinu habet. Dolæus.

tantur, neque tollunt. Scilicet sub vtraque re promptissimum delirium est, vbi viscera grauis dolor fatigat, simulque neruorum oritur distentio. Vbi simul præcordia dolent, simul somnus profundus tenet, aut vbi ventriculo grauis ardor, aut morsus molestus vtique est, si tum quoque aluus biliosa est. Vbi deiectio penitus retinetur continuo dolore caput exercente. Vbi vrina aquæ speciem repræsentat, quo ferè tempore delirium comitatur. Hæc vrina exitium etiam, si diu talis fertur, portendit. Idem periculum est, vbi vrina rubra, crassa, confusaque, & mali odoris est, eademque paruo temporum interuallo sæpe pauca & cum difficultate meitur, aut vbi sine ratione matura est, aut præter voluntatem elabitur. Vbi vim febris ægrotus homo non sentit, mentis errore præpeditus. Vbi prima febris accessione protinus vber sudor erupit, aut viciari mens cœpit, parsue aliqua corporis resolui. Vbi denique accessio tertio quoque die vehementissimè inualescit. Proximum nunc est ea signa ponere, quæ in acuta febre certam denunciant perniciem, quam scire licet in propinquo esse, si sub magno morbo vltima corporis infirmitas est, magisque si tum quoque vel delirium, vel rigor incidit, si is qui mentis vsu caret taciturnus est, vtique si voce alioquin priuatus non est. Si infirmis viribus labra, vel supercilia, vel oculi, vel nares peruertũtur, si æger tum quoque neque videt, neque audit, aut si voce amissa, con-

Exitij not.e.

niuentibus oculis iacet, neque eo tempore è naribus profluit ſanguis, neque vomitus incidit, vnde id mali tollatur. Quod incommodũ eo quoque fuerit grauiùs, quo ſimul ſpiritus difficilius trahitur. Æquè horrendum eſt, ſi oculi illachrymant, aut vehemẽter ſubſederunt, aut foras prominent, ſi caligant, ſi incerti huc illuc vertuntur, contraúe immobiles obſtupeſcunt, aut denique diſtorquentur, ſi alba eorũ grandeſcunt, nigra minuuntur, aut ſi vbi hæc ſub ſuperna conduntur palpebra illa rubeſcũt, atque in ijs pallidæ venæ, nigræúe cernuntur, aut ſi quid modo telæ araneorum concretum, totis oculis innaſcitur, vel innatat pituita, nouiſſimisque angulis inhæreſcit, ſi per ſomnum palpebræ penitus non coëunt, eædemque vehementer pallent, niſi id tamen fuſa aluus fecit, ſi oculorum denique alter minor altero eſt. Hæc ſi in aurem acutiſſimi doloris tormentũ incidit, maximeque in iuuene, quem ſanè is caſus ferè intra diem ſeptimum occidit. Verum ſenior aliquis quia non æquè grauiter aut dolet, aut febricitat, magis in tuto eſſe creditur.

Si cauſſa febris dentes ſtrident, itemque liuidi, nigri, ac vehementer aridi ſunt, ſimulq; lingua per morbi principium ſicca, deinde aſpera poſt etiam nigra, craſſaq; eſt. Si eger, ore hians, iacet, & aſſiduè dormit, aut ſi is ſubito ſtrangulari videtur, ac neque potum deuorare, neque ſaliuã ſuam poteſt, nullo tamen ſubſtante in faucibus tubere. Si collũ difficillimè vertitur, aut idem

sic distorquetur, vt molesta inde sit deglutitio. Si frigidus efflatur spiritus, si pulsus obscurus, densus, & intercisus est. Si sitis antè vehemés, nunc penitus aboletur, febre tamen æquè graui, ipsaque lingua æquè sicca atque nigra. Si vomitus cruentus incidit, aut varius multorumque, qui boni non sunt, colorum & fœtens. Si digiti floccos in veste legunt, vel fimbrias diducunt, vel aliquid in adiuncto pariete carpũt: si horum vngues extremaque liuent, vel nigrescunt, quanquam nigra ea fieri haud iuxtà periculosum sit, vtique si validæ vires morbum non difficillimè ferunt, aliaque salutis sequuntur signa verisimilia. Nempe tum quidem bona valetudo redit, sed nigræ partes corruptæ decidunt. Pernicioſum insuper est ventrem in tumorem attolli, magisque vbi datum medicamen purgans fuit. Aut hunc ipsum flatibus distentum, hos emittere non posse. Adhæc per initia febris bilem atram suprà infraue prodire. Aluum liquidam simulque nigram, vel palidam, vel pinguem, vel mali odoris esse. Hanc ipsam cum subita palpitatione cordis, atque singultu esse compressam. Vrinam intercipi cœpisse, aut nigram mei, & crassam, & fœtentem, aut vrinam quæ antè fuit bona, repente notas exhibere non bonas, aut per omne morbi tempus nihil ab vrina dissidere hominum sanorũ. Tum etiam ipsum mictione reddi sanguinem, aut vesicam dolere duramque esse. Æquè mortiferum est per initia morbi extrema refrixisse,

maxi-

maximeque hæc ipsa non recalescete potuisse, aut extremis frigescentibus interna caloribus extorreri, atque sitim multam facere. Adhæc subitò sine caussa manifesta febrilem ardorem conquieuisse. Ortos sub infirmis viribus esse sudores, simulque animam defeciſse. Ipsum etiam ægrum supinum cubare, genuaque contrahere, & deorsum subinde ad pedes deuolui. Brachia item & crura nudare, dispergereque, quæ calida tamen non sunt. Adhæc qui inferiora loca corporis tenebat dolor, repente eum ad viscera translatum desisse. Vlcus quod antè, & in ipsa natum febre est, siccum ac liuidum esse. Pustulas item toto corpore erumpere, modò tamen abscessus aliquis purulentus non exoriatur. Quin orto etiam iuxta aurem abcessui nullam accedere maturitatem potuisse, neque é naribus cruorem fundi, neque vrinam crassam, multamque ferri. Præterea frigidum sudorem moueri, ipsumúe ægrum quarto die, itemque septimo multum affligi, neque vllam vndecimo experiri iudicationem, aut diebus hunc iudicialibus inalgescere, non subsequentibus sudationibus. Rigorem etiam incidere, sæpeque redire, neque ex eo tamen morbum leuari. Porro ad extrema ventum est, si tempora collabuntur caussa febris, naresque acutæ fiunt, & oculi concaui, & frigidæ, languidæque aures, & imis partibus leniter versæ, si cutis etiam circum frontem dura & intenta est, ipseque homo cadaueri similis perpallida aut nigra planè-

Proximæ mortis indicia.

Purgantium usu exasperatur. Jonston.

planeque corrupta propter morbum facie est.

Ex continuarum febrium ordine ea quoque esse censetur, quæ, quoniam omnium mitissima est, Lenta appellatur: ea scilicet quæ latentem putredinem humoris visceribus impacti, aut ipsorum etiam viscerũ sequitur corruptelam. Vix ægrotare homo videtur, nullumque quod graue sit incommodum pati, corpus tamen sumpto alimento non proficit, sed paulatim consumitur, atque liquescit. Ipsum sic imbecillum fit, vt ægrè loco moueatur. Pulsus est frequens, celer, & inæqualis, non tamen magnus. Vrina interdum putredinis notas habet. Hic morbus ferè malum habitum corporis comitatur, & fœdos virginum colores, estq; maxime diuturnus, sæpe quadragesimũ longè excedens diem. Sed est quoque multo periculosior, cùm non humoris obstruentis vicium, sed ipsius etiam visceris sequitur corruptionem, iocinoris scilicet, vel pulmonis, vel cerebri, vel lienis, & interdum renis partiumque longius sitarum. Tum suprà ea omnia quæ modò proposui, hæc quoque contingunt. Multo longoque tempore morbus gignitur, paulatimque crescit, alios fere secutus morbos, curatione, maximeque vacuãtibus remedijs non lenitur, sed interdum etiam exasperatur. Facile syncopen accersit, corpusque sensim, & nonnunquã sine sensu mali huius debilitat, et marcore cõsumit. Hoc ipsum profectò genus febris est, quod in ijs animaduertitur quos tabes male habet.

Febris lenta. cf. Jonston.

Nullum ordinem servat.

Prognos.

Sequar

Sequar nunc eas febres quæ quieta aliqua tempora intermissionesque ægrotis præstant. Harum alia tertiana, alia quartana, alia cotidiana est. Tertiana his signis sese prodit. Protinus ab initio, perq; omnem febris decursum cum ipsa accessione rigor tertio quoque die inuadit pungens & corpus quasi vulnerans, tametsi sola interdum sit refrigeratio, vbi leuior scilicet morbus est. Sub rigoris finem biliosus sequitur vomitus, vel certe soluta aluus. Tum calor toto corpore accendi incipit, sititque æger, ac præ vehementi æstu corpus nudat, varieque disijcit. Idem difficulter spirat, & capite dolet, nec rarò etiam delirat. Pulsus, vt primùm incipit accessio, contractus paruusque est: mox vehemens & validus, & celer, nequaquam tamen inæqualis, nisi id fortè parum sit. Vrina subtenuis, flaua, aut flammea est, maliq; odoris. Accessio, copiosis ortis sudoribus finitur, septem ferè horis absoluta. Sed discrimina quędam ponere operæprecium est, quibus discriminibus dissidere, hæc febris à cæteris intermittētibus solet. Ergo vbi ardens febris orta est, aut continuarum demum aliqua, sentit vtique iniecta corpori manus, magis magisq; calorem increscere: at in tertiana non sentit, hic enim æqualis calor subest, qui interdum quoque sub ipsa mitescit manu. Quinetiam tertiana intermittens singulis accessionibus primò rigorē, dein sudorem exhibet, cōtinua verò vtroque hoc (nisi cum iudicatione soluitur) caret. Adhæc in ter-

Tertiana intermittens.

Major adest capitis dolor ardens cum siti intensa et amaritie oris, interdum vomitu bilioso.

Auxilium vrinæ ēc diaff utraq.

Vrina/ In exqsita nebulam quodq albam l. enæreoma circuitu primo exhibet, et tum ultra quartum paroxysmum febris non ꝓtenditur. Jonston.

Septem/ Jonston Duodecim horas in exqsita ponit.

Ictery superveniens eam solvit.
a Jonston 18. horas huic tribuit.

S. Pandiculatio et oscitatio precedit.

Adest magnus appetitus sæpius et totius corporis refrigeratio diutius durans c. stridore dentium, simul dolore articulorum lancinante.

in tertiana intermittente rigor, & vehemens esse incipit, & citò cessat, primis accessionibus maximus, sequentibus autem magis, ac magis mitescens, contrarium autem quartanæ accidere mox ostendetur. Circuitus etiam accessionum maximè ad constituendum febris genus valet. Pergam itaque, vt cœpi, de tertiana dicere, quæ tuta esse solet, & spacij minimè longi. Vbi ea exquisita est, diebus quatuordecim absoluitur. Esse autem exquisita solet, in iuuene, cuius natura calida & sicca est, quique media fortè æstate sub feruido cælo vigilijs, vel laboribus, vel curis, alijsúe ærumnis exercitus multum fuit. Vbi hæc desunt, ibi notha confit tertiana, quæ longior est, neque æquè vehementes habet ardores, neque sudores æquè copiosos, vt exquisita fundit. In notha etiam nullus est anticipantium, aut cunctantium accessionum certus ordo, rigor item minus quidem vehemens, at diuturnior est, non æquabiliter totum occupans corpus: quęlibet accessio, multò longius horis quatuordecim tenet: ipse morbus, nunquam septimo circuitu, rarò quarto decimo, sæpe longiore spacio soluitur.

A 4ana.

Prognos.

8 Tertia notha intermittens.

Prognos.

Quartana autem febris sic obseruatur: Primis accessionibus, horror quarto quoque die incidit, qualis nasci magno ex frigore solet. Hic horror interposito tẽpore tantisper indies crescit, donec in vehementem rigorem abeat, sub quo corpus intremit atque concutitur, dentes strident, ipsaque ossa quasi tundi, atque obteri profun-

9 Quartana.

profundo pondere videntur. Decedente rigore ferè vomitus sequitur, moxque calor exoritur, frigoris quodã sensu circa intima ossa mistus: pulsus inuadente accessione languidus, rarus, & tardus est, postea validus fit, magnus, frequens, celer, magisque, quàm alijs in febribus, inæqualis. Vrina etsi non rarò in hoc morbo incerta, fallaxque est, primis tamen diebus tenuis, alba, aquosa, posterioribus varia meitur. Calor, sitis, capitis dolor, vigilia, minq quidem quàm in tertiana sollicitant, magis autem quàm in cotidiana. Productior etiam hic quàm in vtraque alia accessio est, eademque copiosis sudoribus finitur, quare exacta etiam succedit febris intermissio. Quartanæ longissimũ quidem malum, at satis tutum est. Interdum à magnis morbis corpus, tum tutatur, tum liberat. Qui enim sic laborant, hi neque in mania, aut melancholia, neque lepra, neque orta propter repletionem distentione neruorum tentantur. Quinetiam eadem hæc si antè fuere vicia, accessu finiri quartanæ consuerunt. Quibusdam etiam placuisse video neminem à quartana extingui, nisi ægri aut curantis culpa posse. Scire tamen licet non quiescere solere hunc morbũ, nisi vicio aliquo visceribus illato. Rarò etiam idem sine lienis obstructione, vel dolore, vel duricie visus est. Quare tuta quoque inprimis ea quartana est, quæ integro liene hominẽ tenet. Eadem intra annum (nisi si error aliquis incidit) absoluitur. Sæpius post mensem sextũ,

& in-

& interdum post tertium conquiescit. Sæpissimè autem sic fieri obseruatum est, vt quæ Autumno, totaq; hyeme rectè curata quartana remedijs fuit, ea proximo vere soluatur. Idem morbus si vel cum tumido liene est, vel nimiũ inueterascit, hydropi corpus exponit. Fereque æger his casibus oppressus perit. Quartana maximè autumno grassatur, magisque si lienis tumet, vel continuæ, vel incertæ febres fuerunt, non ex toto solutæ, magisque si corpus frigidum, & siccum, & glabrum, si ætas declinans, ipseque homo crassæ materiæ alimentis vsus, mœrore ac sollicitudinibus confectus est.

Quæ æstate oritur quartana, breuior est. Longior Autumnalis, præcipuè si in proximo hyems est. Sæpe cruditas ex quartana cotidianam fecit, magno exitij metu. Quorundam etiam obseruatione compertum est, discussum à longa quartana morbum comitialem fuisse. Quartana etiam postquam ex hac aliquis conualuit, facile reuertitur, vtique si quo die febris esse solebat, frigus, vel calor, vel cruditas, vel lassitudo inciderint.

Cotidianæ quoque febris proponenda obseruatio. Tenue frigus extremis in partibus oritur, cuius sensus (vt in cæteris quoque fit intermittentibus) primum ferè à summis digitis manuum ac pedum, itemque à naso incipit. Vomitus si quis incidit, pituitosus est. Inde calor paulatim lenteque nascitur, crescitque, hebes, humidus, fumosus, vapore mistus, idemque vigente

Cotidianæ

gente iam acceſſione aliquantum ſit mordax, atque acer, ſemper autem inæqualiter is ipſe percipitur: frigoris interdum permiſtum ſenſum exhibens. Accedit dormiendi penè inexpugnabilis neceſſitas, nihilque primis diebus ſitit, nihil ſudatur, nihil penè de febricitatione intermittitur. Incipiente acceſſione quibuſdam vel anima deficit, vel (quod grauius eſt) ſyncope incumbit, itemque pulſus inordinatus eſt, & magis quàm in alijs febribus inæqualis, itemque tardus, paruus, ac debilis. Is ipſe vix magnus fieri, increſcente acceſſione poteſt, quanquam tandem creber eſſe incipit, ſed minus quàm ſub alijs febribus, æquè tamen atque in quartana velox. Ventriculus aſſiduè dolet, aluus liquida, cruda, pituitoſaque eſt. Vrina initio vel alba tenuis, vel craſſa ac turbulenta: poſt rubra, craſſa, turbidaque eſt, totum corpus hebeſcit, atque graue redditur: ipſa acceſſio magna ex parte horis octodecim, pauculo ſudore finitur: totus morbus quatuor & ſexaginta diebus. Hoc genus febris rariſſimè incidit, rectiusque fortè eſt, cùm cotidie aliquis febre cõflictatur, duplicem hanc tertianam, non cotidianam eſſe putare. Magis autem cotidiana pituitoſis inſidiatur hominibus, quieti, cruditati, ac ſomno deditis: vtique ſi ſenex quis, vel puer, vel fœmina eſt: ſi tempus hybernum cælumque nubilum eſt: ſi ſæpe è capite pituita in ventriculum deſtillat: ſi denique cùm primùm febris hominẽ adoritur, tumida præcordia vel

dia, vel inflata intentaque sunt, si principium accessionis in vesperam incidit, si antè, & in ipsa febre facies subliuida, ac subtumida est, stomachus diu imbecillus, cibi fastidium, & frequēs ructus fuit. Omnis autem cotidiana ægerrimè remedijs cedit, tædij, ac periculorum plena. Tutior est ea quæ incipiente accessione, pituitę vomitum vltro ciet, & declinante plurimum sudorem fundit, & posthęc ex toto intermittit.

His ita animaduersis implicationes quoque febrium inter se mutuas obseruare non inutile est. Scire itaque licet, rarissimā duplicem cotidianam esse, tertianam autem duplicem frequentem, cui principium ferè simplex præbet. Vna etiam conquiescere manente altera solet: accessiones cotidie, sed non ijsdem horis fiunt, quæque paribus diebus incidūt, inter sese sunt similes, & his dissimiles quæ imparibus. Æquè frequens duplex, atque etiam triplex quartana est, vtraque è simplici nascitur, accessionesque rarò pares habet. *Febriū implicationes*

Magna quoque dignum obseruatione id genus compositæ febris est, quam nos Semitertianam, Græci ἡμιτριταῖον appellant. Ea incipiens horrorem mouet, & sudorem declinans, neque posthæc tamen integra esse à febre corpora sinit. Quoniam verò ex tertiana consit intermittente & cotidiana continua, vno die asperior horrorem, sæpeque aliquid etiam rigoris exhibet, itemque bilis vomitum quendam vel deiectionem: adhæc magnum ardorem, madidi- *Semitertiana.*

que vaporis halitum, altero autem die frigus potius quàm horror incidit, ac neque sitis, neque ardor multum infestant. Pulsus cõtractior est, totaque mitior febris. Quinetiam altero die duarum exhibetur febrium species, altero vnius duntaxat. Rara profectò febris semitertiana est, ac graue periculum, vbi occupat, minatur. Est autem ea exquisita, vbi paribus ferè portionibus & intermittentis tertianæ, & cotidianæ continuæ subsunt materiæ. Vbi autem non sunt, ibi pura esse semitertiana non potest, tumque facilius remedijs curari posse malum volunt.

Communis in febribus animaduersio.

Sed cùm obseruationes proposuerim singulis generibus febrium proprias: nunc eas quæ omnibus, aut certè quàm plurimis communes sunt, sequar. Fuerint autem hæ quidem istiusmodi, vt vel metu terreant, vel spe miseros consolentur. Ergo febrem satius est distentioni superuenire neruorum, quàm distentionem febri. Corpus quoque pro febris vel spacio, vel acumine parum emacruisse, aut rursus præter rationem, præterque modum extenuatum esse, malum est. Illud enim indicium morbi longioris, hoc imbecillitatis est. Si sub acuta febre caput repente ac vehementer dolet, ipsaque tamquàm reuulsa præcordia sunt, insaniæ ostendũt metum, nisi si sanguis è naribus fertur. Per eandem febrem aures obsurduisse, pestiferum atque furiosum est, nisi id quoque cita aluus, vel certè cruor è naribus fusus soluit. Frigidi sudores in

res in acuta febre, mortis nuncij: in mitiori, longæ inualetudinis sunt. Magnã quoque febrem inesse, dentes testantur, lenta sorde onerati. In febribus spiritus offendens, malum, itemque ex somno pauor, aut neruorum distentio. Mali etiam morbi notæ sunt, sopor, vigilia, caligo oculorum, singultus, lassitudo, exudatio, nouusque post hanc exortus calor, inquietudo diebus nata iudicialibus, simulque ex rigore citra sudorem iudicationemque refrigeratio, aut rigorem exiguus secutus sudor. Malæ item sunt sanguinis stillæ pusillæ, & atra bilis per initia febris sursum vel deorsum erumpens. Sed & vultum intueri oportet, qui si in acuta febre nimium toruus est, aut minus, quàm par sit, pro acumine morbi fœdatus, aut præter rationem bene habitus, tutus non est. Malus etiam censetur esse vomitus sinceræ vel pituitæ, vel bilis, magisque si viridis humor aut niger prodit. Nocet etiam aluus ex toto suppressa, & rursus adeò soluta, vt conquiescere ægrum in cubili non patiatur, maximè si eadem hæc perliquida, aut albida, aut pallida, aut spumans est. Mala etiam iudicatur exigua, tenax, leuis, alba, vel quæ liuida est, aut biliosa, aut cruenta, aut pinguis, aut insueti fœtoris. Eiusdem notæ aluus est varia, quæ strigmentum, cruorem, bilemq; viridem fundit. Aut quæ post longam ægritudinem sincera est. Lumbricos quoque per febres deijci, tutum non est, præcipuè ante morbi declinationem. Sed sub acutis febribus vi-

Periculosæ febris notæ

uos eos excludi haud iuxtà periculosum est, potissimum ad meliorem iam valetudinem inclinante homine, at vitæ cassos exisse, prorsus inutile est, idque declinante morbo. Per principia tamẽ febrium mortuos eos esse præstat: viui enim pestilentiæ inijciunt suspicionem. Mala quoque in febribus potissimum acutis vrina diluta, atque alba est, vt quæ periculum insanię præsagit. Æquè inutilis est ea, in qua quod subsidet, subrubrum, aut liuidum est: aut tenuibus filamentis furfuribusúe quid simile repræsentat. Non bonum quoque signum est, post appetentiam, postúe longas febres, cibum fastidiri cœpisse, aut multos sudores esse, maximeque frigidos, aut eos ferri non toto corpore æquales, sed circa caput tantum, & circa ceruices. Adhæc sudoribus febrem non finiri, aut post hos horrorem incidisse. Auriginem denique febre exceptam esse, vtique si dura præcordia sunt. Æquè horrendum est febricitantem multum atque crebrò spirare, itemque sexto die cœpisse inhorrescere, difficulter ferre morbum, prærerque rationem sine vasorum inanitione imbecillum esse, immoratéque febre insudare, aut modò frigidum, modò calidũ esse, varijsque sæpe coloribus affici. Tum etiam quod aliqua parte corporis abscessit, id non maturescere, sanitatemque non consequi, aut ipsum inter hæc ægrum passis manibus, pedibusque supinum cubare, somnum totis noctibus non videre, quantumuis interdiu is accedat,

peius-

peiusque est, neque per noctem, neque de die requietem esse vllam potuisse, sed continuam vrgere implacabilemque vigiliam, aut contrà iugi ægrum somno sopiri. Atque hæc quidem sunt quæ terrere metu periculosæ febris possunt. At longam fore hanc existimandum est, vbi tumida præcordia sunt, præsertim, si dura quoque hæc & dolentia, & inflammata, & intenta sunt. Talia enim non modò longum vicium, sed periculo quoque esse opportunum, denunciant. Febris etiam inueterascit, vbi tubercula, aut labores incumbunt in articulos. Vbi dolor inguina & glandulas exercet. Vbi frigidus sudor in febre non acuta circum caput tantum oritur, & circum ceruices. Vel vbi aliquis sudor alius febrem neque leuat, neque finit. Vbi exortus absceſſus non sanescit. Vbi vrina aliàs alia meitur. Vbi corpus variè, modò calore, modò frigore, modò hoc colore, modò alio afficitur. Vbi idem pro morbi spacio, parũ emacrescit. Vbi multo tempore posteriores accessiones eadem qua priores hora incipiunt, æqueque sunt, & vehementes, & durabiles. Ac his quidem notis cognoscere longas febres licet, quæ si iam diutius securæ trahunt, neque vitam adimunt, scire licet expectari absceſſum oportere, eumq; in articulorum aliquem, præcipuè inferiorum, cum tumore, atque dolore decubiturum. Id tamen iunioribus tantum accidere consueuit, & per febres non intermittentes quæ iam vigesimum diem superauerũt.

Longæ febris notæ.

Absceſſus præsagia. p. 16.

Porrò ſenioribus autem & febre occupatis intermittente, & incerta, non quidem abſceſſus, ſed ferè incidere quartana ſolet: vtique ſi in proximo quoque Autumnus eſt. Vt enim ijs qui infra trigeſimum ſunt annum, potius abſceſſus fiunt, ita quartana eos magis excipit, qui eum gradum ætatis ſuperauerunt. Noſſéque oportet abſceſſum magis hyeme conſueſſe fieri, longiusque durare, & minus reuerti. Hactenus ea ſigna poſuimus quibus malæ febris pericula, vel longæ tædia ſignificantur. Itaq; proximum eſt eas modò notas ſequi, quibus ſalus promitti ægro poteſt. Ergo hanc expectare quā dico ſalutem, non ſine cauſſa licet, ſi aurigo vel ſeptima febris die, vel nona, vel vndecima, vel decimaquarta mollibus præcordijs oritur: ſi æger morbum facilè ſuſtinet, nulloque conflictatur incommodo: ſi mente conſtat: ſi neque ſomno, neque vigilia nimium vrgetur, noctu dormiens, & vigil interdiu: ſi poſt ſomnum firmior eſt: ſi non difficulter ſpirat, quod certè ſignum omnibus in febribus quæ intra diem finiuntur quadrageſimum, principem inter bona locum habet. Si denique conſtat appetentia, vel ab initio ſeruata, vel etiam poſt cibi orta faſtidium. Si præcordia ſine vllo ſenſu doloris æqualiter mollia, parte dextra, ſiniſtraque ſunt. Iam etiam vbi vomitus incidit: ſi miſtus is ex bile, & pituita fuit: ſi id quod in vrina, vel ſubſidet, vel in medio ſuſpenditur, vel ſuperius innatat, album, leue & æquale eſt: præſtabiliusque

Salutis in febribus præſagia.

que fuerit nubeculas ad imum matulæ consistere. Si insuper deiectio alui mollis est, & probè figurata, & ruffa, neque supra modum fœtens, eiusq; moles modo assumpti cibi respondet, & eruptio eodem penè fit tẽpore quo per secundam valetudinem: Si totum corpus æqualiter molle & calidum est, æqualiterque insudat. Si sudore febris conquiescit: si æger facilè conuertitur: si decubitus ei naturalis est: si ea quæ corpore efferuntur, sine multa molestia, & post concoctionem efferuntur: Si post eandem concoctionem, labra, nares, aut linguæ extremum leuiter finduntur, pustulisque minutis exulcerantur: si denique concoctio citò fieri incipit cum pulsu constanter bono.

Tempora etiam febrium sic ex modo accessionum distinguntur. Quum plures accessiones æquè vehementes, & æquè sunt diuturnæ eademque hora repetunt, scire licet principiũ febris nondum transisse. Quod si sequens accessio tẽpora solita prioris anteuertit, eademque magis, & diutius affligit, iam tum esse febris incrementum cœpit. Status autem ferè esse solet, cùm accessio vehementissima est, neque anteuertit tempora prioris, neque pòst sequitur: verùm omnia ex toto penè sunt æqualia, quæ ad duos circuitus pertinent. At verò quoties hîc cunctari accessionem dico, aut etiam anteuertere, magis id ita intelligo fieri, quàm exigat circuitus febrilis proportio. Qui enim sic non fiunt motus, ferè naturam febris

Principiũ febris.

sequuntur non tempora definiunt. Id quod haud rarò contingere solet tertianæ febri, & cotidianæ, & quartanæ, quæ semper donec ex toto soluerentur, anticipauerint. Cæterùm, si cunDeclinatio ctatur accessio, breuiorque ac mitior superiore est, constat vtique tum febrem cœpisse declinare. Pro materiæ quoque ratione vnde febris fit, tempora eius captantur, itemque ex ijs casibus quæ præter naturam incidere per febrem solent, συμπτώματα Græci vocant. Siquidem principium febris cruditas materiæ facit: incrementum, fieri cœpta concoctio: statum, eadem absoluta: declinationem, concoctæ materiæ vacuatio, vel translatio. Casus etiam quos modò dixi, omnes per principia febrium atque declinationes mitiores per incrementa, perque status atrociores sunt. Illud etiam his addi quæ hactenus comprehensa sunt, aliquo modo posse videatur. Quæ febris die non iudiciali sine bonis signis subitò finita est, ea ferè reuertitur, multoque magis, si commissus aliquis in victu error est. Sed ne hoc quidem etiam præteribo, mitissimas febres, notisq; fretas securissimis, quarta die vel antè solere conquiescere: prauissimas autem & casibus terrentes horrendissimis, eodem spacio temporis, vel antè occidere.

His ita animaduersis, proximum est febris pestilentialis obseruationes proponere. Vbi autem ea nondum quidem est, verùm vt ne incumbat, metuitur, talia contingunt. Ver atque æstas calida, humidaque, austros sine ventis ex-

p. 744. Febris pestilentialis

If: B.

tis exhibent, cælum frequenter eodem etiam die mutatur, fitque modò calidum id, modò frigidum, modò nubilum, modò serenum: sæpius tamen nubilum, pluuioque proximum, at nihil pluens tamen. Accedit multa insectorum animalium copia, multusque quadrupedum interitus. Insueti etiam ignes per noctem in aëre cernuntur, ortique subinde cometæ calamitosam hanc portendunt luem. Vbi raptus aliquis iam morbo est, hæc incidunt. Bubones sine caussa manifesta, vel ponè aures, vel sub alis, sed frequentius in inguinibus, aut certè carbũculi varijs corporis locis, purpureaue exanthemata subitò exoriuntur. Inter hæc febris inuadit continua, atque acuta, sub qua extimum corpus vix incalescit, & sensu interdum frigoris afficitur, interiora autem graui incendio vruntur, ipse homo cum animo mœsto ac pleno malæ spei lassus, segnisque fit, & ineluctabili dormiendi vrgetur necessitate. Eius ferox vultus, & qualis temulẽtorum esse solet incertus, atque turbidus est, spiritus malè olet, ac difficulter trahitur, deijcitur cibi cupiditas, os amarescit, ingens oritur sitis: Fitque frequens & nausea, & vomitus, quo optimi etiam alimenti sperati fructus corrumpitur: Pulsus exiguus, languidus, celer, frequens, & inæqualis est: Aluus fœtida atque graue olens: Vrina aliàs sicut iumentorum turbida, cruda, crassa, fœtidaque est, alias qualis in homine sano sine vicij nota meitur. Siquidẽ vbi simplex hæc febris è sublimi

Diagnos.

limi mundo mortalibus immissa est, neque putridæ implicatur, ferè obscuris innititur signis, sic vt neque vehemens vel incendium, vel sitis, vel inappetentia afficiat, sed & vrina concocta, omnibusque absoluta numeris sit. Etenim homo ad speciem non admodum eger crebra animi defectione, vomituque labefactatur, ac tandem, subita raptus syncope, inopinanter extinguitur. Porro omnis pestilens febris, vt per se semper tota pernicioſa est: sic tum demum, & celerem, & certam mortem affert, cum oppresso intus corde, nihil foris, vel bubonis, vel carbunculi summo corpore efflorescit: aut si quid efflorescit, inde tamen neque morbus, neque æger leuatur. Quinetiam æquè mortiferum est semel natum bubonem, vel carbunculum rursus introdelatum, repente delituisse, itemque fœtente spiritu, ac frigescentibus extremis creberrimum vomitum, atque ipsam syncopen incidisse. Illud quoque nouisse non inutile est, sanitis incerta sub hoc morbo salutis esse præsagia, adeò vt propter bonas notas plenum spei atque promissi medicum mors sæpe inopinata decipiat.

Prognos.

Quoniam acutis magnisque morbis plerisque omnibus febris iungitur putrida, adeoque iudicatio accidit ea quam κρίσιν Græci dicunt, (longi enim morbi itemque alij febris expertes, & parui paulatim sine iudicatione soluuntur) non absre facturus videor, si febribus obseruationes quoque iudicationum addidero.

Iudicatio febrium.

Vt cæli

Vt cæli variæ tempestates, sic etiam morborum iudicationes signis quibusdam (κρίσιμα Græci dicunt) præmonstrantur. Ea quidem hæc sunt, Delirium, sopor, vertigo, obliuio sensuum, inusitatus error, dolorque capitis, ceruicis, stomachi, præcordiorum, aliarumue partium insignis, adhæc aurium susurrus, falsi oculis obiecti splendores, inuitæ lachrymæ, frequens nausea, æstus, sitisque solito vehementior, pulsus repente ordinis redditus expers, & inæqualis, vrinæ suppressio, alui insueta murmura. Inter has turbas ipse æger totus angitur, & in omnẽ partem corporis sese variè iactat, idemque vociferatur, exilit è cubili, omnia furioso similis. Id temporis accessio febris vehemẽtissima est, ferè horæ spacio priorem anteuertens, incidit-que magnus & insolens quidam ipsa cum accessione rigor, hinc subito (si quidem bona futura iudicatio est) profusus erumpit sudor, aut sanguis vbertim è naribus fertur, aut vomitus multi humoris incidit, aut aluus multum soluitur, post quæ febris incipit tota conquiescere. Horum autem signorũ aliqua præbetur significatio superiore nocte, quum postridie febris iudicatione soluetur, idemque de die fit, si proxima nox finem morbo aliquem imponet. Inquietam enim esse noctem oportere, quæ eum antecedit diem, quo die futura accessio, omnisque absoluenda iudicatio est, vetustissimus autor Hippocrates proposuit. Illud quoque nouisse licet nocturna signa diurnis esse atrociora, item-

Signa iudicationis.

ra,itemque ipsorum adeò signorum alia esse iu dicationum duntaxat, alia harum, & signa, & causſas putari. Sub his sudationes,vomitus,deiectiones alui, mictiones, & sanguinis profluuia sunt:sub illis deliria,vigiliæ,sopores,lachrymæ & huiusmodi. Vtrisque signis ita comparatum est, vt post notas concoctionis salutem promittant, substante cruditate perniciem minentur. Quare bona ea esse non nisi vigente morbo,aut paulò antè possunt. Scilicet eo tempore humoribus maturitas accessit. Itaque non sine causſa Hippocrati placuisse video, iudicationum celeritatem concoctionibus significari. Eadem signa incipiente morbo,penitus exitiosa sunt, increscente autem eoque maligno morbo, mortem quoque minantur, at sub leuioris morbi incremento,imperfectam fore iudicationem ostendunt. Natura enim corporis, vbi ex morbo quis penitus conualescet,iudicationem omnem tantisper linquit, differtq;,donec absoluta materiæ sit concoctio. At si morbo fractus homo succumbet, semper multò antè tentare natura iudicationem conatur, eiusq; exhibet non obscura indicia. Adeò apparet semper bonas notas concoctionis esse, certæq; nuncias salutis. Verùm iudicationis signa parum firmi habere,diuersaque (prout cruda,concoctaue morbi materia est) ab ijs & significari, & effici. Porrò obseruare operæprecium est, quo demum genere vacuationis, quaue via futura febris iudicatio sit,vt hac quoque parte instructum,

ctum, probatumque sit medici iudicium. Ergo si febris acuta est, propterque celerem concoctionem, primis iudicatio fiet circuitibus, scire licet excretionem potius aliquam quàm expectari abscessum oportere. Primùm itaque vbi futura aliqua vacuatio est, incidere fluxus sanguinis è naribus solet, si præcordia, vel dextra, vel læua sine dolore intenduntur, simulque spiritus fit difficilis, & caput pulsante, atque distendente affectum dolore exardescit, & facies tota, potissimum oculi, nares, ac malæ rubescunt: si hebes fit visus, vel obiectis quasi splendoribus eluditur: si collum dolet, & tinniunt vel obsurdescunt aures: si illachrymant repente oculi, & rubescunt: si venæ in temporibus vehementer agitantur: si nares velut extenuantur, & pruriunt: magisque, si dolor iuxta faciem atque tempora, tum quoque grauis versatur: adhæc, si pulsus præterquam quod vt in omnibus vacuationibus altus & vehemens, ita hic etiam vndosus est. Frequens hæc vacuatio febribus est ardentibus, & ei insaniæ, quam græcè φρενῖτιν dicunt, itemque acutis, cõtinuisque, vel sine febre etiã capitis doloribus, præcipuè si frontem hi atque tempora occupauerunt, adhæc omnibus quæ sub præcordijs fiũt, calidis et acutis inflammationibus, maximeq, iocinoris, & lienis. Cuius rei certior fuerit euentus, si æstas est, ipseque ætate florens homo nondum quintum & trigesimum annum superauit. Vt verò acutis maximè febribus, atque ei quam

Signa è naribus fluxuri sub iudicatione sanguinis.

ei quam proximè dixi insaniæ, sanguinis è nare profusio familiaris est: sic minimè aut lethargo, aut pulmonis inflammationi, quã περιπνευμονίαν Græci vocant. Inter hos morbos anceps, mediaque est lateris inflammatio, πλευρῖτις græcè dicta, minus quidem quàm priores profusioni sanguinis opportuna, magis autem quàm posteriores.

Signa vomitionis.

Cæterùm expectari vomitus debet, si toto capite graui, ac vertiginoso, oculisque caligantibus, afficitur doloris morsu stomachus, & crebrò nauseat, idque cum ore ferè amarascente, & multæ, tenuisque saliuę sputo, & labri inferioris tremore. Tum quoque hypochondria anterius, veluti suspensa tenduntur, spiritumque premunt, ipse pulsus contractus, atque durus est. Certior autem vomitus erit si febris tertiana subest, homoque quintum & trigesimũ ætatis annum excessit, si æstas est, si rigor incidit, simulque loca inferiora præcordijs refrigescunt. Iam verò aluus profluet, si humor ad interiora corporis mouetur, neque tamen vomitus aliquis sequitur, aut plenior vrina fertur, magisque si aluus tum & bilioſior, & fusior est, quàm antè iudicationem fuit: si denique æger rarò cruorem per secundam valetudinem è naribus fudit, raroque insudauit, sæpè aluo cita fuit, & potare frigidam aquam consueuit. Vbi iam autem in propinquo deiectio est, venter murmure quodam fluctuat, rugitq;, & pungitur: mox grauitas, vel dolor intus oritur,

Alvi Fluxus.

tur, primùm circũ lumbos, hinc ad imam partem ventris delapsus. Hoc ipsum non malè obseruasse Hippocratem constat, qui per febres in dolore præcordiorum submurmurante, si lumborum dolor superuenit, aluos vt plurimum humectari solitas esse scripsit. Cæterùm sudores erumpant aluo & vrina sub firmis viribus compressa: maximè si tum etiam nulla vomitus nota antecessit, quæ si est, tum eo ipso vomitu, tum sudationibus iudicatio perficitur. At etiã certior fuerit sudor, si cum superioribus signis increscens accessio (vt in febri ardente, similibusque grauibus morbis incidit) delirium intulit, simulque summa corporis magis incalescunt, atque rubent, vaporemque quendam emittunt calidum, qui antè non fuit. Tum pulsus simul vndosus, & insigniter mollis fit, vrinaque crassior, & penitus biliosa. Firmior quoque sudoris prædictio fuerit, si æger sub iudicationem balneis sese prolui sub insomnio putat, id quod mihi quoque per acutam febrem sudaturo contigisse memini. Sudores omnibus febribus familiares sunt, maximeque acutis perurentibus. Insania etiam, quam græcè φρενῖτιν appellari dixi, sudores, si boni sunt, expetit. Bonos esse sciendum est, qui ex capite vberes calidique feruntur, reliquo simul insudante corpore. Non inutiles quoque sudores esse (si boni sunt) perhibentur omni acutæ inflammationi quæ sub præcordijs consistit. Porrò vtrum fusis, vel hæmorrhoidibus, vel fœminarum

Sudoris notæ.

rum menſibus iudicatio futura ſit, ex vtriuſque affectionis proprijs ſignis innoteſcet.

Abceſſus p: H. a. præſagia.

At verò abſceſſu quoq; nato, ſolui febris poteſt, vbi is generabitur, hæc ferè incidunt. Morbus diu trahens, paulatim nō ſoluitur, ſed permanet eodem febris & doloris tenore: ita tamen vt alia ſalutaria ſigna aſſint, nihilque de ægri vita dubitetur. His accedit, quòd nulla euidens facta vacuatio ſit, quòd cunctentur concoctiones, quòd ſubitus dolor, & laſſitudo, & debilitas, & ſudatio alicuius fuerit particulæ vilioris, quòd ipſe morbus non lethalis, tardè moueatur, vigeſimumque iam egreſſus diem ſit, quodque pulſus ſit bonus, & virium robur non infirmum. Inter hæc autem certior etiam futurus abſceſſus eſt, ſi cruda diu vrina atque tenuis fertur. Sub his autem caſibus abſceſſus metū detrahit vrina multa, craſſa, alba, in qua quod reſidet, perquàm multū eſt. Scilicet tum malum paulatim concoctione ſoluitur, tādemque ſine vacuatione alia euidente, ſiue abſceſſu conquieſcit.

Παρῶτις.

Qui iuxta aurem abſceſſus inhæreſcit (Græci παρῶτιδα vocant) his notis futurus eſſe cognoſcitur. Spiritus repentè, nec tamen diu difficilis eſt, hinc protinus capitis ſequitur grauitas, atque dolor, altusque ſopor, & ſurditas. Eſt hic caſus febribus acutis, atque non valde longis frequens, ſoletque interdum, & lethargum, & inſaniæ genus, quod φρενῖτιν dicunt, ſimiliaq; capitis vicia iudicatione finire. Quum verò

verò morbus multa occupatur vetuſtate, & certis de cauſſis expectatur abſceſſus, notæq; deſunt parotidis, quæ tum profectò penè nunquam incidit: ſed & in partibus corporis inferioribus dolor aliquis, vel grauitas, vel tonſio, vel ardor eſt: ſcire licet abſceſſum his locis oriturum ad articulum eſſe. Illud quoque hîc repetere, quod ſuperioribus locis dixi, operęprecium eſt, protinus de abſceſſu haberi opinionem oportere, vbi viceſimum diem febris exegit: tum hunc magis hyeme fieri, tardiusque ceſſare, & minus reuerti conſueſſe: adhæc frequentiorem iunioribus eſſe nondum annos triginta natis, ſenioribus autem minus ſub febre quantumuis longiore accidere, ſed his quartanam potius ſub huiuſmodi caſu imminere, vtique ſi quę viget febris, non continua, ſed vago, incertoque intermittens circuitu, diu ad Autumni vſque tempus traxit. Hoc etiam rectè notatur, febrem etſi diuturnam, quæ tamen ab rigore incipit, & ſudore ſoluitur, qualis tertiana, aut quartana eſt, rarò in abſceſſum deſinere. Purgatur em̃ ſingulis acceſſionibus morbi materia. Huc adde abſceſſum omnem parte corporis inferiore tutiorem eſſe, qui lentam, longamque febrem ſequitur, quam is qui in ſuperiore corpore ponè aures emergit. Talis enim ferè proprius morbis acutioribus eſt. Iam verò ſi orto abſceſſu, aliqua febris manet, isque foras non reſoluitur, ſcire licet, hunc non ante viceſimum diem, ſed totum intra eum ipſum, &

Abceſſus in inferioribus locis.

sexagesimum suppuratum iri. Quod si illud quoque incidit, vt priusquam suppuret abscessus, immoratè etiam solita febre subsederit, periculum facit primum furoris, deinde interitus, vtique si is pone aures fuit. Tutissimum autem existimare abscessum oportet, qui inferiorem partem corporis occupans, quàm longissimè à morbo, et à vitę absistit penetralibus, & qui amplo incluſus loco, materiam morbi omnem continet, quique maximè foras emergens, non ægrè erumpit. Talis enim minimè reuerti priorem morbum sinit. Bonus quoque est acutus & fastigiatus, & æqualiter maturescens, deorsum vergens, non obdurus, non bifidus. Pessimus is est qui interius tendit, sic vt hinc nullus exteriori cuti accedat color. Iam si foris quoque prominet abscessus, scire licet pessimum esse qui maximus quiq; planissimus est. Aliquid etiam affectus animi facere ad iudicationis modum solet. Metus enim procliuem alui deiectionem, aut vomitum, aut vrinam reddit. Lætitia contra, magis sudores fundit. Illud quoq; obseruatione dignum videatur, sępe iudicationem pluribus vacuationibus, non semper vnica perfici consuesse, vt si ea fortè per febrem fieri ardentem, sanguine è naribus fuso, cœperit, quam mox effusi sudores complent, absoluuntque.

Abscessus optimus.

Optima iudicatio.

Porrò iudicationem perfectam esse decet, & fidam, & certam, & securam, & euidentę, itemque prius indice die nunciatam, bonam denique

que & salutarem. Hanc profectò concoctiones comitãtur, potens dies iudicialis, & quod morbo conuenit, excretionis non obscuræ genus. Proximè autem antecedit pulsuum inæqualis motio: in qua plures ictus sunt magni, quàm parui: plures celeres, quàm tardi: plures moderati, quàm crebri: plures vehementes quàm languidi, cum rythmis paribus moderatis, vel celeribus. Sequitur autem melior vultus, expeditiorque spiratio, & maior in conuertendo leuandoque corpore vis, & pulsuum ad iustam mediocritatem, æqualitatem, ordinemque reditio. Bonam quoque sperare iudicationem facit genus morbi, quod sæpius, faciliusque per eam ipsam finitur, qualis febris est ardens, qualis tertiana, & huiusmodi.

Virum futura sit iudicatio, nec'ne.

An verò per febres futura omnino iudicatio sit, nec ne, sic habetur. Si magnus est morbus, multumque semper, & anticipantibus, & increscentibus accessionibus mouetur, si interhæc viribus natura valet, & cõcoquitur promptè morbi materia: si denique ætas, & natura hominis, & ipsum tempus anni, & morbi genus futuris iudicationibus consentiunt: scire licet ingentem morbi mutationem fore, idque eò citius, quò hæc ista fuerint potentiora. At si sub infirmo corpore magnus est morbus atque prauus, huiusque diu persistit cruda materia: reliquum est oppressa natura mortem sine iudicatione sequi oportere. Ferè autem sic incidit, vt vbi notæ iudicationis assunt, ibi iudica-

tionem seu bonam, seu malam fieri necesse sit. Has notas dico, non eas quidem omnes, quæ morbo succedunt, sed quæ incipiente iudicatione, vel paulò antè apparent. Quòd si hoc etiam fit, vt cùm signa iudicationis existunt, ipsa tamen non protinus sequatur iudicatio: scire licet, vel hanc pòst instare difficillimam, vel hominem interiturum. Magna verò ex parte futurę iudicationis bonę certiora prędagia sunt, malę non perinde firma, vtraque in acutis morbis semper dubia. Quinetiam signis bonis, vbi morbus viget, tutò licet fidere: malis non item, nisi corpus viribus caret. Nemo profectò morbum acutum sine iudicatione euasit, multi repentè sine hac interierunt. Vtque iudicatio salutaris, nõ nisi iuxta vigorẽ morbi est: ita mors incidere, & incipiente, & increscente, & consistente morbo potest. Declinatio autem mali cuiusque, nulli vnquam exitium, aut iudicationem attulit, quoniam qui morbus semel vigorem superauit suum, is sine iudicatione permanet, sensimque (nisi quis incidit error) soluitur. Moritur autem aliquis interdum incipiente febris accessione, vt per mortiferas internarum partium inflammationes, perque febres è crassa natas pituita, oppresso intus, præfocatoque naturæ calido, tumque refrigeratus æger non recalescit, pulsus vermiculans sit, totusue deficit, ipseque æger profundo oppressus somno, exanimatur. Interdum etiam increscente, (quod rarò fit) accessione, interitus accidit, frequen-

In quæ tẽpora, iudicatio, itẽq; ipsa incidat mors.

quentissimè eadem consistente: scilicet magno morbo naturam superante: delirat autem id temporis æger, animo ac manibus violẽtus, exilitque cum impetu, & maximo æstu extorretur: hisque magnis victus malis, accedente tandem animi defectione atque syncope extinguitur. Rarò aliquis declinante febris accessione moritur, quod tamen vbi incidit, anima deficit, toto naturæ calore cum febrili vnà expirante: ipse æger pauco, ac tenaci exorto sudore surgens, vel etiam quiescens, protinus emoritur. Illud vbique perpetuum est, eo tempore accessionis, ægrum mori consuesse, quod omnium est difficillimum.

Videar modò omnem iudicationum absoluisse obseruationem, nisi dierum supereßet explicanda animaduersio, quibus vis obtigit febres iudicatione finiendi. Vnde ipsi etiam ab Hippocrate (quorum is author est) κρίσιμοι nominantur. Sunt autem hi qui sequũtur, tertius, & quintus, & septimus, & nonus, & vndecimus, & quartusdecimus, & septimus decimus, & vicesimus. Explent hunc numerum vicenarium tres septimanæ: sic vt dies octauus secundæ septimanæ principium, quartusdecimus autem terminus secundæ, exordiumq; tertiæ (sic iudicante Hippocrate) habeatur. Iam quoque hi septenarij dies per quaterniones digerũtur: estque quartus dies primi quaternionis nouissimus, & secundi primus. Tertius autem quaternio à septimo orsus die, clauditur vndecimo,

Dierum iudicialium ratio.

cimo, quartus hinc incipiens quaternio quarto decimo finitur die, hic ipse dies initiũ quinti quaternionis est, & decimus septimus finis, ab hoc sextus quaternio incipit, & vicesimo terminatur: adeò apparet hunc ipsum vicesimum, & sexti quaternarij, & tertij septenarij nouissimum esse. Porro eadem proportio dierum est iudicialium in secundo vicenario: hoc est, à vicesimo die ad quadragesimum, quæ in primo fuit. Post exactum autem quadragesimũ diem, vt non sunt amplius morbi acuti, ita nec amplius etiam imparibus diebus, siue quaternarijs, siue septenarijs, sed omnino paribus iudicatio perficitur, singulos dico vicenarios, sexagesimum, scilicet, octuagesimum, centesimum, & sic deinceps. Illud quoque nouisse oportet, non eandem diebus iudicialibus vim esse omnibus. Etenim septenarij omnium sunt efficacissimi, post hos quaternarij, qui singulis septenarijs sui sunt: inde illi, qui in medio sunt vtrorumque, Medici intercurrentes vocant. Ex iudicialibus autem boni hi sunt. Septimus, decimus quartus, nonus, vndecimus, vigesimus, septimusdecimus, quintus, quartus, tertius. Mali autem, & parum tuti, minimeque iudiciales sunt, sextus, octauus, decimus, duodecimus, sextusdecimus, vndeuigesimus. Tertiumdecimũ quidam ancipitem esse, mediumque inter bonos & malos volunt. Iam verò, etsi non æquè potenter, omnes tamen iudicare acutum morbum impares dies possunt, qui primo continen

tur

tur vicenario, quoniam eo ſpacio morbus vehementius mouetur: pòſt autem is ipſe magis remittitur, miteſcitque. Ex quo incidit, vt in ſecundo vicenario vix vlli dies præter ſeptenarios, puta vigeſimum ſeptimum, & trigeſimum quartum, & quadrageſimum, iudicare aliquid poſſint. Porrò iudicialium dierum, alij aliorũ ſunt indices, quos ideo contemplatorios Hippocrates vocat, quoniam hi quid proximis iudicialibus futurum ſit, certis antè notis oſtendunt, prænunciantque. Itaque indicem ſeptimi quartum eſſe, is autor obſeruauit: itemque decimi quarti vndecimum, & viceſimi ſeptumdecimum. Ergo ſi primo die ſine vlla periculi ſuſpicione protinus acuta febris eſt, & vrinę euidens acceſſit concoctionis nota, extendi iudicatio non ſupra quartum diem poteſt. Vt contrà, ſi multa primo ſtatim die concurrunt exitij ſigna veriſimilia, æger vtique infra quartum ſuccumbit. Rectè enim Hippocrates iudicauit, ijs qui breui perituri ſunt, maxima quæque ab initio accidere oportere. Iam etiam ſi ſeptimo die iudicatio futura eſt, rubram vrina nubeculam quarto exhibet, cæteraque pro ratione ſigna ſequuntur bona, niſi tamen errore aliquo, vel medici, vel ægrotantis, iudicatio cunctetur, cadatque in nonum, vel in vndecimum. Propter errorem enim, in ijs quidem morbis, quibus periculum deeſt, iudicatio tardatur: in lethalibus, conſtitutum anticipat diem. Adhæc, ſi nihil etiam iudicatum die vndecimo eſt: fieri

iudicatio ante vigesimum non potest: sin moderatiora, ad septimum vsque contingunt, potest. Qui verò morbi ad decimum vsque quartum omnino cruditatem habent, & lentè admodum mouentur, non ante quadragesimum iudicatione finiuntur. Quemadmodum enim dies iudiciales potentiores primi semper posterioribus sunt, ita & indices. Illud quoque notare non inutile est, ad quartum vsque decimũ magnos esse morborum impetus, minores his à decimo quarto ad vicesimum: morbos autem qui ab hoc die ad quadragesimum immorantur, paulatim vim omnẽ remittere, vt qui quadragesimum superauerunt, prorsus langueſcere, longaque potius concoctione, vel abscessu, quàm solui iudicatione posse. Postremò Hippocrates post diem centesimum, alios quidem morbos conquiescere dixit septem mensibus, alios totidem annis, alios, vt verisimile est, binis annorum hebdomadis & ternis.

Febris hectica.

Proximum est, post febres quæ humorum vicio fiunt, earum quoque proponere obseruationem, quas ἑκτικὰς Græci dicunt. His præsicus, squalidus, & perennis calor est, sineque dolore constanter æqualis: sic vt ne in febri quidem esse se, æger existimet. Tametsi increscere aliquo modo calor hora vna, aut altera post sumptum cibum solet, quo concocto, ad pristinam æqualitatem febris redit: vt primum iecta corpori manus est, calor occurrit obscurus: sed tandem sub longiore mora acris fit, atque

que mordax. Pulſus debilis, paruus, ac frequens: ſed ſumptis epulis, altior atque maior eſt. Ferè etiam arterijs plus caloris (ſi has tangas) quàm proximis locis ſubeſt. Cutis vehementer arida, corpus ipſum imbecille, & languidum eſt. Atque hic quidem primus eſſe gradus hecticæ febris cenſetur, quæ curationem non difficillimam habet: verùm haud ita facilè cognoſcitur. Secundus eſſe gradus poteſt, vbi ſiccitas maior corpori dominatur, ſic vt vehementer id liqueſcere, conſumique incipiat. Tum vrina pinguitudinem habet, telis araneorum perſimilem: Pulſus durus tenſuſque eſt, debibior tamen atque minor, quàm primo febris gradu: Cutis quoque corporis magis dura, aridaque eſt. At verò vltimi gradus hæ notæ ſunt: Cauantur oculi, &, quæ iuxta ſunt oſſa, prominent. Iidem oculi arida ſorde onerantur: palpebræ ægrè mouentur, crebroque, ac ſi homo dormiret, ſine ſomno tamen conniuent: cutis in fronte ſicca, duraque eſt: tempora collapſa ſunt: ipſe vultus viuidi coloris gratiam amiſit: capilli celeri incremento inaugeſcunt: hypochondria ſurſum videntur ad thoracem conuulſa: venterque totus contractus, & inanis, ſic vt, eo denudato, neq; inteſtinum ſupereſſe vllum, neque viſcus exiſtimetur. Pulſus maximè durus eſt, itemque debilis, & frequens: Vrina velut oleum ſuprà pinguis: Ipſum corpus adeò contabuit, vt oſſium vbique extrema, maximè autem in ſcapulis, promineant, ac veluti grandeſcant

Prognoſtic

Diagn.

cant: Cutis instar corij dura est, non mollis atque rugosa, qualis eorum esse solet, qui alijs de caussis extenuantur. Ferè etiam pediculorum per hunc morbum molesta copia est. Huius ordinis hecticam vt facillimè quidem noscere, ita verò nunquam sanare est. Ea enim planè est marcida (μαρασμώδης græcè appellata) certamque perniciem afflictis affert. Raro autem simplex esse hæc, sic vt alteri febri non misceatur, solet. Sæpè ab acuta febre incipit incendio humorem corporis insitum depascēte: fitque tum id genus febris, quam colliquantem dixerunt. Repentè autem satis ea & nascitur, & occidit, id quidem breui efficiens, quod simplex sensim, longoque spacio: Lentè enim hæc ipsa mouetur, peruenitque lentè ad summum. Itaque ægrè quoque per initia, antè quàm huc ventum sit squaloris, cognosci solet. Ferè autem quibus hectica infesta est, calida, siccaque natura obtigit: multique vel mœrores, vel labores, vel inedia, vel sitis antè fuerunt. His enim ferè caussis leuioribus, febris ephemera: vehementissimis, hectica mouetur.

Proximum hinc malum est τῆς ἀτροφίας, sub quo, quia homo sumpto alimento non alitur, summa oritur macies, sensim, ac sine euidentibus caussis corpore exarescente. Id vicium inprimis graue est, & quia vires vehementer atterit, tandem tollere etiam hominem, nisi curatione occurritur, potest. Ferè autem hecticæ iungitur febri, & cordis affectibus, & pulmonis ex-

ἢ τοῦ σώματος ἀτροφία.

nis exulcerationi, itemque grauibus, ijsque calidis ventriculi, lienis, aut iocinoris vicijs. Facilè tum ex hoc ipso morbo, tum ex hectica, in corporis transitur marcorem, quem græcè μαρασμὸν appellant, quod vbi incidit, nulla curationis reliqua via est.

Malus corporis habitus. Cachexia.

Vt verò in hoc isto maciei vicio, prorsus non alitur corpus: ita in alio, quod Græci κακεξίαν, nos prauum habitum dicimus, malè alitur. Idem corpus subtumidum, laxum, molle, graue, segneque est, & viuidi coloris gratia caret, virore quodam albicans: ipsum adeò impotens est, vt crura etiam interdum eundo vacillent. Incipiente morbo viciatur cibi concoctio, incolumi etiam appetentia, spacio tamen hæc quoque offenditur. Spiratio debilis ac rara, aluus varia, & inæqualis est. Suntque hæc signa ei ferè cachexiæ propria, quæ à substante humore, cruda, seu pituitosa nominatur, quæque sepissimè id hydropis genus antecedit, venturumq; prænunciat, quod λευκοφλεγματίαν Græci nominauerunt. Hoc ipso vicio maximè capiuntur pueri, & senes, at verò adolescentes, & iuuenes, rarius sic laborant, & citius curantur. Magis autem ita afficiuntur hi, qui ex longo morbo conualescunt: vtique, si id quoque temporis, duro tumore, quem σκίρρον græcè dicunt, viscus aliquod, maximeque iecur, aut lienis obsidetur. Idem morbus non raro etiam longa excipere tormina, & leuitatem intestinorum, & hæmorrhoides, menstruaque fœmina-

Prognos. p. 78.

Prognos.

minarum, vel fusa nimium, vel compressa solet. Est autem præter hanc crudam, alia insuper ex corrupto sanguine, melancholica cachexia, quæ ferè elephantiam, tum antecedit, tum præsagit. Alimentum quod assumitur, intus viciatur, indeque tum spiritus, tum os, tum alui, & vesicæ excrementum, itemque sudores, grauem odorem habent: fœdus, squalidusque toto corpore, maximeque in vultu color est. Quibusdam etiam cutis per assiduas pustulas, aut vlcera exasperatur. Totum corpus infirmum est, & interdum tubera quibusdam partibus habet.

Scorbutus. Magni lienes.

Ex hoc profecto cachexiæ genere, eum esse morbum iudico, quem expressisse Hippocrates sub magnis lienibus videtur. Siquidem interdum bilis atra ita pestilens fit corruptione, vt cùm in corpus extra lienem diffunditur, planè eius habitum vniuersum corrumpat. Id viciú his signis sese prodit: Os, ipseque spiritus malè olet, gingiuæ viciantur, subliuidæque, & non nunquam subatræ redduntur, ac digito vel leuiter pressæ, atrum cruorem emittunt: Eædem sic laxæ sunt, vt à dentibus discedant, facileque eos, vel omnes interdum eximere liceat. Aliquis etiam capiti, itemque precordijs dolor est, vrgetque cibi fastidium: Crescente morbo, hæc quoque crescunt, & maculæ quædam liuidæ, tamquam vestigia suggillatorum, varijs corporis locis efflorescunt, in brachijs scilicet, in coxis, in cruribus, sæpeque per vniuersi corporis cutem, adeò, vt hęc quasi arquato nigrò videatur fœda-

fœdata. Inter hæc magna imbecillitas oritur, præcipueque in cruribus, quorum impotentes compages fiunt. Nonnullis, ac potissimum iunioribus, crebrò sanguis è naribus fertur: quod ni fiat, in cruribus hæ maculæ, quas dixi, & interdum vlcera fiunt. Is morbus Batauis, alijsq; populis, qui humiliora, atque palustria loca incolunt, frequens est, vtique si his quoque alimenta crassæ, duræque materiæ sumuntur. Rarissimus siccis regionibus atq; æditioribus est. Omnem ætatē quolibet anni tempore nullo discrimine impetit: Senibus tamen grauior, sed frequētior iuuenibus esse creditur: Quibusdā tamen locis frequentissimus pueris est: Idemq; Autumno, atque Vere maximè recrudescit. Prognos.

Graue inprimis, & horroris plenum vicium Elephantiæ est: vt primū id inuasit, summa pars corporis crebris maculis inspergitur, crebroſq; tumores, maximè iuxta summam frontem, ac mentum habet: Maculæ modò subnigræ sunt, modò subflauæ, modò subalbidæ: Cutis inæqualiter crassa, horrida, duraque, qualis anserū est, eademque quasi squammis quibusdam exasperatur, potissimum in facie, in manibus, & in pedibus. Pili rariores omnibus locis corporis fiunt: Spiritus difficulter trahitur, & malè olet; vox obscura, atque subrauca est; crassescūt malæ, mentum dilatatur, amboque ruborem exhibent, non floridum quidem illum, sed liuore quodam turpem: vrina, qualis iumentorum, crassa, turbidaque est. Mores denique accedunt, Elephātia.

cedunt, & somni, & insomnia melancholicis familiaria. Quidam etiam sese præfocari inter dormiendum rati, cum impetu expergiscuntur, atque exiliunt. Plerique Veneris quoque ingenti desiderio capiuntur. Increscente autem morbo, hæc ista etiam increscunt, ipsumq; corpus malè fœdum emacrescit, os, suræ, & pedes intumescunt, hiq́ue vt plurimum frigidi, torpidiq́ue sunt. Varicosæ venæ, subnigræ, ceu verrucæ quædam, aut grandines, in linguæ radice, sub palpebris, poneq́ue aures cernuntur. Vbi vetustatem morbus accipit, eroditur narium media cartilago, tandemq; aliquibus corrupta partibus decidit, ipsę nares resimę sunt, & alarũ crassamento obstructæ. Itaque per has sic impeditas, ipse ferri spiritus, verbaq́ue proloquentis hominis videntur. Labra etiam crassa sunt, & inuersa, oculi iuxta angulum interiorem rotundiores sunt, & quod in ijs album esse oportuit, flauescit, crassumq; fit, ac quasi vngue obtectum. Ex supercilijs autem præduris illis, ac penè callosis, itemq́ue ex palpebris, & mento pili decidunt, alijq́ue horum loco longè quàm antè rariores, ac tenuiores exurgunt. Aures etiã per hęc ferè tempora acutæ fiunt, extenuantur, & eroduntur. Manuum, pedumq́ue digiti siccis fissuris dehiscunt, atq; non rarò sic attolluntur, vt sub tumore condantur. Musculi toto corpore consumuntur, maximeq́; iuxta pollicem: ipse vultus horridus, ac, qualis Satyrorum esse fingitur, deformatus. Ad extrema vẽtum esse, vox docet

Quatuor sunt Species Alopecia, in qua rubedo est obscura, faciei tumor, oculorum rubor, narium hæmorrhagia. 2. Tyria à serpente squamoso Tyro, qui vere spolium exuit. in qua albedo, squama, et fur. fures afficiunt. 3. Leonina à rugis frontis leonis dicta, in qua punctura, mordaces impetigines. 4. Elephantiasis reliquis major, et tardior.

Sudor facile in Salem redigitur, qui in aqua in solvitur, Sanguis lotus granulosa et arenosa post se reliquit.

docet ſummè rauca, & caua, virulentaque manuum, ac pedū vlcera, quibus ſubinde hæ partes viciatæ cadunt. Eodem penè tempore cutis quoq; ſenſu propè in extremis pedibus caret, adeò, vt ne doleat quidem, ſi quis hanc, vel intromiſſa acu pupugit, vel feruentibus vndis adusit. Nouiſsimè febricula oritur, quæ facilè tot modis obrutum hominem tollit. Signa hęc alia in alijs, non omnia tamen obſeruari in omnibus ſolent. Scire tamen licet, inueteraſcentē morbum hūc depelli remedijs non poſſe: Neque enim ſola cutis, ſed totū etiam corpus intus, foriſque afficitur, ſic vt ipſa quoque viciari oſſa credantur. Contagione etiam id malum contrahi, non ſolum ſponte, intimoque corporis vicio poteſt, idemque à parentibus tranſire ad natos, vel ab ipſo etiam natali ſolet.

Haud multis ante noſtram memoriam annis, horrendū, atque nouum genus morbi mortalium valetudini, tot alioqui caſibus opportunæ, cœpit inſidiari: quod, quia conſuetudine Veneris contrahitur, venereum appellari poſſe videatur. Primùm, iuxta naturalia cruſtoſæ pustulæ oriuntur, hæque lentam ſaniem reddunt, & malignè exulcerantur. Accedit venereum ſeminis profluuium, vel inguinum venenati bubones. Hæc omnia niſi altius intrò ad viſcera ſubeunt, nondum cœpiſſe morbum, at in proximo eſſe teſtantur: Vt primùm verò is ipſe incipit, tum leuiſſimus eſt, cùm ſolummodo pilos, caput, ac mentū remittunt, cætera rectè habēt.

Morbus venereus.

Pau-

Paulo grauius est, summa corporis maculis frequentibus, ijsque more lentiginis exiguis, aliàs rubris, alias flauis imbui, quæ maculæ non nisi resoluto quoquo morbo tolluntur. Id vicium tum quoque maius est, certumq; sui argumentum præbet, cùm in fronte, & in temporibus, & pone aures, maximè circa radices capillorũ, dein in capite, vel etiam in vniuerso corpore, malignæ pustulæ, tumoresque non vnius coloris efflorescunt, quæ sponte sine medicamento sanantur, iterumque passim expullulant. Pustulæ modò flauæ, modò rubræ sunt, rotundæ omnes, siccæ, puris expertes, & aridam crustam habent, ex his deinde in ambitũ serpentibus pustulis, cutemque cauantibus, vlcus oritur virulentum, & sordidum. Quibusdam etiam tum manuum, pedumque caua finduntur siccitate, & squamas remittunt. Eoque propè tempore palatum, atque intimum anguli oris, nigris, fœtidisque pustulis impeditur, adeò subinde vlcere cauatis, vt eius rei caussa, potio per nares reddatur. Qui casus tamen rarissimus incipienti morbo, frequens tum veteri, tum bis terue reuerso est. Exulcerantur quoque & lingua, & fauces, & partes quæ ad nares, & ad podicem sunt. Tum quoque caput prægraue esse incipit, ceruicibus, humerisque dolor ineſt, qui interposito spacio ad brachia, & ad crura peruenit, noctemque molestam magis, quàm diem exhibet: maximè à tertia noctis hora ad nonam infestus. Idem medijs artubus profundè inhærescit,

scit, in quibus sępè tumores oriuntur, qui ægrè vel dissoluuntur, vel suppurant. Interdũ etiã in tophos vertuntur hi, maximeq, in fronte, in capite, in clauiculis, in medio humeri osse, itemq; in cubiti radio, & in parte tibię priore, & iuxta alia nonnunquã ossa, quæ pessimis inde ortis vlceribus corrumpũtur. Tum profectò grauissimum id malũ esse iudicatur: Nam solidæ quoq; partes labefiũt, ossa, vincula, membranæ, nerui, circa quæ coëunte maligno humore, immanissimi doloris tormenta, maximeq; per noctẽ incidunt. Atque his quidẽ ærumnis, mistisq; vigilijs, ac febri oppressus, subinde homo perit. Cæterùm meminisse conuenit, non omnia semper in omnibus ægris signa, verùm alia in alijs deprehẽdi. Modò enim solę pustulę, modò dolores, vel nodosa tubera, vel exulcerationes sunt. Sub solis pustulis expeditior curatio est, sub alijs nulla, aut certè difficillima: præcipuè si his multa vetustas accessit. Porrò constat morbum hunc penitus contagiosum esse, ac solo viciati corporis adhęsu cõtrahi, tum à parentibus quoque ad liberos more Elephantiæ transire, eiq; cõtagioni fœminas opportuniores, quàm viros esse. Recens morbus non difficillimè curatur, vetus vix vnquã. Æquè inanis medicina est, si sub hoc vicio corpus marcore occupatur, aut orta Anhelatio, quam Græci ἄσθμα vocant, fuit. Post morbi curationem alij mirè corpulenti fiunt, alijs raucitas infesta est, alijs fœdæ cicatrices manent, profundorũ, turpiumq; vlcerũ vestigia.

Prognos.

MEDICINALIVM OBSERVATIONVM LIBER II.

QVO VICIA SINGVLARVM PARTIVM CORPORIS PROPONVNTVR.

Dolor capitis.

VIX vlla pars corporis humani æquè doloribus opportuna, vt caput est: Huc enim facilè aliquid ex inferiore corpore aspirat. Ipsa quoque pars, propriæ constitutionis atque temperamenti occasione impotēs, non difficillimè doloris caussam in sese tum admittit, tum gignit. Ergo si multis iam annis crebrò, leuique de caussa caput dolet, scire licet aut cæphalæam, aut hemicraniam esse: sub illa proprio caput affectu labefactatur, ipsumque vniuersum, aut certè maxima eius pars dolet: sub hemicrania autem, alterum tantum capitis latus consensu præcordiorum, subditarumque partium dolor afficit, ferèque à temporum oritur pulsatione. Vterque dolor, vt quiuis etiam alius, sub appellatione τῆς καυφαλαλγίας continetur. In dolore autem capitis omni, eo periculum vertitur, qui continēter excruciat, & somnum tollit: Quòd si vomitus etiam accedit æruginosus, & surditas, in proximo insaniam esse significant. Iam etiam vbi ingentem capitis dolorem distentio neruorum comitatur, vel inflammatio iuxta oculos, aliamúe corporis defixa partem, vel denique

nique oculorum inflatio, aut ſubuerſio, ſummum periculum oſtenditur. Illud quoque veterum obſeruatione conſtat, vehemẽtem dolorem capitis, qui curatione non ſaneſcit, ſed magis etiam exaſperatur, aſſidueq́ue tenet, periculum inſaniæ per febrẽ minari: ſine febre autem, cùm hanc quoque inſaniam, tum magis cæcitatem prænunciare. Per acutos capitis dolores, ſi ſonitus incidit aurium ſine febre, & vertigo, & impeditus tardusq́; ſermo, & manuum torpor, vel morbum expectari attonitum, vel comitialem, vel lethargum poſſe, nõ alienum eſt. Adhæc ſi vetus in capite dolor eſt ex frigida natus materia, difficillimè ſaneſcit, maximeq́ue in ſenibus. Quum caput parte aliqua, aut circum circa dolet, ſi pus, vel aqua, vel ſanguis, naribus, ore, aut auribus exit, ſcire licet malũ ſolui.

Nunc ea capitis vicia ordine ſequar, quibus mentis error iungitur, incipiamq́ue à delirio, quod Græci παραφρένεσιν dixerunt. Maioris ferè id terroris, quàm periculi eſt, ſcilicet per acutarum febrium vigentes acceſſiones, ſæpè contingit deſipere ægros, & loqui aliena: verùm leuato acceſſionis impetu, protinus mens redit. Nouiſſe tamen oportet, illud penitus leue non eſſe, neque incidere, niſi in vehementi febre poſſe. Ferè autem hoc repreſſo, grauis, profundusq́ue ſomnus obrepit. Sed imminentis quoque delirij non ambiguæ notæ ſunt. Expeditior ſermo ægrotanti eſt, quàm ſano fuit, ac ſubita oritur loquacitas, eaq́ue ipſa ſolito impu-

Delirium. παραφρένεσις.

dentior. Stridor quoq; dentium, firmo etiamnum corpore incidit, & gestus incontinentior est, & oculi frequenter mouentur, hisque dolente vehementer capite, quasi tenebræ offunduntur, vel sine dolore somnus non accedit, fitque continuata per noctem, perque diem vigilia. Spiritus rarus, mireque vehemens est, & pulsus citatus, ipsumque corpus prostratũ in ventrem iacet, nisi si hunc decubitum tamen aliquis ventris dolor fecit.

Horroris autem, periculique plenissimum id genus insanię est, quod inflammato cerebro, eiusue membranis excitatur, Græci φρενῖτιν vocant. Id his signis notescit: Febris vrget acuta, atque continua, continuusque mentis error, modò his, modò alijs animæ viciatis actionibus: expeditus in omnem audaciam homo est, & vicissim tum vigilia, tum somno difficili, turbulentoque impeditur, sic vt interrupta quiete protinus cum impetu è cubili prosiliat, vociferetur, ferociat, ac modò ploret, modò cantet, verbaque sine sensu, sine ordine certo proferat, interrogatus ab alio omnia aliena respondeat. Quæ quidem omnia eò plus ostendunt periculorum, quò quis initio morbi (vt ferè fit) pacatior fuit. Sub eodem vicio oculis insolita mobilitas accesit, hique cruenti, flammei, squalidique sunt, quos æger crebrò perfricat, modò siccos, modò lachryma perfusos, lingua autem aspera, & nigra est, dentes stridore quatiuntur, sæpeque cruor è naribus aliquis fertur, & interdum

φρενῖτις.

terdum posteriora capitis dolent. Adhæc vehementer sitit æger, & multum garrit nugarũ, atque altè quidem, verùm rarò tamen spirat. Idem manibus tremit, digitisque floccos vellit, & festucas è stragulis legit. Vrina huic tenuis flammea, interdum etiam (quod pessimũ esse iudicatur) tenuis, albaque est. Hoc istud genus insaniæ longè acutissimum est, breuique hominem, nisi maturè tollitur, tollit. Mortiferum id esse testantur continua, tum dementia, tum vigilia, aluus & vrina pertinaciter compressa, aut vrina prius abundè colorata: pòst, alba, tenuisque reddita, itemque distentio neruorum, difficilis crurum extensio, atque contractio, syncope. Prognos.

Sequitur tertium insaniæ genus, quo diu aliquis sine febre desipit, Græci μελαγχολίαν vocant. Tristitia, metus, atque vigilia longo tempore afficiunt, itemque humanæ consuetudinis odium, idque perpetuo cum luctu, atq; lachrymis, quanquam nonnulli etiam continenter rident. Omnes autem exercent vanæ, intentæque animi cogitationes, adeò vt persæpè humi fixis oculis, veluti stupidi consistant, subitoque falsis imaginibus exempti, celeriter cum suspirio procedant. Qui grauius laborant, sese vel pecudes esse, vel testaceos, vel etiam vita defunctos credunt, quare alij gallinacei cantum voce imitantur, alij occurrentibus cedunt, veriti ne (testacei cùm sint) diffringãtur, alij epulas pertinacissimè recusant, amissam esse vitam rati. Melancholia.

Qui hoc morbo laborãt, vt mortem quàm maximè pertimeſcũt, ſic hanc tamẽ ſibi ipſi quàm ſæpiſſimè deſponſo animo conſciſcunt. Omnibus autem caput, oculi, totaque facies calet: Somnus vt præcipuè neceſſarius, ita maximè difficilis eſt. Ex eodẽ genere morbi, melancholia flatuoſa habetur, quàm græcè ὑποχονδριακὴν appellamus. Eſt id malum affecti iocinoris magisque lienis ſoboles, modò cum lienis tumore, modò ſine eo, non ſolum lienis, ſed neque etiam meſenterij: Soletque tum ſequius eſſe vel exigua etiam aduſtæ bilis atræ, atque pernicioſæ portione, omnia ſuo halitu labefactante.

Melancholia flatuoſa.

Vide 7. 76. Atra bilis.

Diagnoſ.

Iiſdem penè notis hic morbus, quibus prior, deprehenditur: niſi quod hîc præcordia ſurſum conuellantur, & interdum præter grauitatem calore feruean. Sub his arteriæ vehementer, & moleſtè pulſant. Accedunt capitis vertigines, aurium ſonitus, cruditas, acidi ructus, multa tenuis ſaliuæ ſputatio, qua de cauſſa nihil etiam ſitit, vomitus pituitæ, modò bili permiſtus eſt, modò acidus, ex quo dentes etiã ſtupent. Dum epulas ſtomachus concoquit, medio loco ſcapularum dolor inhæreſcit, qui illis concoctis, protinus conquieſcit: Venter ſæpè aſtrictus eſt, & intus rugit, flatibusque turbatur. Quinetiam ſubinde cordis fit palpitatio, & quædam quaſi ſuffocatio. Cruditate maximè creſcit morbus, concoctione ſummè leuatur: eſtque eo morbo, quem priore loco poſuimus, longè mitior. Nonnulli autem, quibus huius

Prognoſ.

huius mali vis cerebrum penitus occupauit, in furorem aguntur, febremque patiuntur hectice non absimilem, & quæ in marcorem prompte vertatur. Melancholia omnis familiarior viris & senioribus, deterior fœminis est. Rarò quisquam tumorem effugit lienis, qui hoc morbo rapitur. Si vel hæmorrhoides, vel varices, vel (vt quibusdam placet) aqua inter cutem accedit, soluitur malum: versam etiam melancholiam in morbum caducum fuisse, & rursus hûc in illam, quorundam obseruatione compertũ est. Ferè autem sic incidit: vt, quæ melancholia recens est, curationem non difficillimam habeat: quæ inueterauit, vix vnquam remedijs tollatur. Prognos.

Sequitur modò ea insaniæ species, quam nos furorem, seu rabiem, Græci μανίαν appellauerunt. Assunt quidem deliriones eorum quos Melancholia exercet, at his tamen insuper iungitur effrenis iracundia, clamoribus, minitationibus, toruo oculorum intuitu, violentoque corporis impetu formidabilis. Si sanguis magis subest, assiduus, & dissolutus oritur risus, iocundis ante oculos obiectis imaginibus. Si verò magis in caussa bilis est, omnia inusitatæ temeritatis, atque crudelitatis plena continguntur: Adeò constat rectè iudicasse veterẽ Hippocratem, insaniam quæ cum risu sit, tutiorem esse: quæ dato studio, peiorem. Vt plurimum autẽ hic morbus sine febre est, tametsi ea quoque interdũ accedere, atro humore putrescen- Furor. Mania.

te, ſolet. Salutem promittunt, fuſi menſes, aut hæmorrhoides, aut natæ varices. Non tuta ſunt vlcera in facie & in pedibus orta, aut amiſſa prorſus appetentia.

Hydrophobia, Aquæ metus.

Huic furoris vicio id finitimum eſt, quòd à morſu rabioſi canis infertur, Græci ὑδροφοβίαν, nos aquæ metum appellamus. Miſerrimum genus morbi, quod hominem rabie, & ſiti, & aquæ formidine cruciat. Ergo vt primum morſus aliquis eſt, moderata omnia pro vulneris modo fiunt: at interpoſito ſpacio, dolores ingraueſcunt, ipſáque incipit viciari mens alienis cogitationibus impedita. Homo autem moroſus fit, ferox, atque iracundus, multum ſecum obmurmurat, & quaſi ab alio interrogatus, crebra reſponſa reddit. Poſt hæc conſpectum meruere aquæ incipit, canemque in ea occuli exiſtimans, metu exclamat, atque inhorreſcit. Ipſi adeò mens errat, vt ne familiares quidem agnoſcat. Tum perfecta oritur rabies, atque alijs morſu nocendi cupiditas, inter quæ alij ſicuti canes latrant, alij ſemen ſine deſiderio Veneris emittunt, alij cùm quid biberint, præfocati moriuntur. Omnibus autem ſomnus turbulentus, horroris, furorisque plenus eſt. Accedit neruorum diſtentio, ſingultus, ſitis implacabilis, & (quæ ferè extrema eſſe ſolent) frigidus ſudor, & ſyncope: quanquam non rarò prius ſiti homo enectus ſit, quàm hæc iſta eueniant. Porrò hoc genus inſaniæ, vbi confirmatum ſpatio eſt, adeò ſanari non poteſt, vt nemi-

nem

Lethargus piamque à Lethargo, cuius hæ notæ sunt: Marcor, & penè inexpugnabilis adest dormiendi necessitas, febris que lenta, neque caloris admodum mordacis. Accedit dementia, rerumque omnium tanta obliuio, vt quum oscitant ægri (quod ipsis perfrequens est) claudendi oris obliuiscantur: aut cùm meiendi caussa matulam petunt, manibusque tenent, mictionis tamen omnem amittant memoriam. Adhæc claudūtur oculi, ijdemq;, vbi voce compellatur æger, palpebris ægrè diductis, vix adaperiuntur, rursumque protinus coëunt, ac pristino sese sopori dedūt. Is sopor interdū adeò pertinaciter immoratur, vt æger vulsis etiā capillis non doleat, sed totus stupore oppressus, veluti truncus cubet. Vniuersum ipsi corpus segne, graueq; est, & ante omnia caput. Nonnunquā singultus etiam incipit. Ipse pulsus æquè magnus, mollisque, vt inflammatis pulmonibus est: at tardior tamen, & rarior, & minus inæqualis, magis autem intermittens, quàm intercurrens, interdū bis pulsans, semper, vbi sopor dominatur, vndosus. Spiratio rarò, & imbecilla est. Aluus que alijs liquida, alijs compressa. Vrina, qualis iumentorum esse solet, turbida meijtur. Ipse æger supinus cubat, & ab alijs in latus conuersus, vltro in dorsum reuoluitur. Hoc certè genus morbi acutum est, & cùm parum in tempore succurritur, promptè interficit. Summi periculi nuncius tremor est, itemque vigente malo frigidus circum caput sudor. Qui ex hoc morbo con-

bo conualescit, huic ferè in pectore suppuratio nascitur. Sæpè lethargus, abscessu pone aures exorto, soluitur.

Caros notis lethargo persimilis, febrim non facit, sed sequitur, eamque non leuem: quamquam etiam, & compresso cerebro, accessionibusque comitialibus succedit. Lethargus ipse per se morbus, propria quadam nititur consistentia. Neutrum vicium repentè accedit. Iam quoque in lethargo, etsi sit molestè, fit tamen omnino ad interrogata responsio. In caro spiritus illæsus est. Nihil verò istorum in attonito obseruatur morbo. Solutum quoque Carum, ferè secunda valetudo excipit: attonitum morbum, resolutio neruorum. *Caros.*

Catalepsis autem, quam detentionem interpretantur, sic cognoscitur. Homo repentè mente, ac sensu, motuque corporis destituitur: itaque in ea quoque figura, qua percellebatur, manet, siue sederit, siue cubuerit, idque vel clausis, vel apertis oculis. Qui hoc morbo rapiuntur, nisi maturè curantur, stupidi, ac velut frigore quodam enecti moriuntur. *Catalepsis*

Κῶμα autem, quod Soporem, & profundum somnum appellamus, his notis obseruatur: Æger demissa inferiore mandibula obdormit, & expergefactus, rursus in somnum repētè delabitur, ideoque Græci id ὑπνώδεις appellauerūt. Quod si ad somni procliuitatem, vigilia simul accedit (ἄγρυπνον κῶμα græcè dicunt) mens, sensusque omnes sopitam omnem actionem ostendunt: *Κῶμα.*

dunt: homo tamẽ vigilantis formam, figuramque retinet. In eo malo impeditus sermo, & spirantibus auditum in gutture murmur, & difficilis poculorum deglutitio, & pituita tenuis à naribus stillans, & vrinæ, aluiq; retentio, promptaque resupinatio, periculum in proximo esse denunciant.

Epilepsia. Morbus comitialis.

Incipiam nunc de morbo dicere comitiali, quem Græci ἐπιλεψίαν dicunt. Is tum maximè timeri potest, cùm caput graue est, & dolet, præcipuè permoto ad iram homine, cùm mentis error incidit, & sensuum stupor, simulque vertigo oritur, & tenebræ oculis obijciuntur, & horrenda insomnia sunt, & lingua sine ordine orationis mouetur, eamque loquens æger commordet, cùm vultus inter hæc pallet, spiritus difficulter trahitur, venter flatibus tumescit, vrina præter solitum tenuis & cruda, cùm aliàs, tum si quis etiam dolor, aut cõuulsio summum humerum, aut ceruices, aut caput occupet, aut torpor corporis, aut turbulentum insomnium accedat. Vt primum verò morbus inuadit, homo subitò conuulsus concidit, vociferatur, stertit, spumat, interdum circumagitur, & tremit: dein interposito tempore ad se redit, perque sedipsum consurgit. Quibusdam stercus, aut vrina, aut semen præter voluntatem in ipsa accessione elabitur. Si à ventriculo vicium fuit, mordetur is antè, magisque per inediam, idemque palpitat, & fluctuat: quumque in propinquo accessio est, nausea oritur, & stomachi dolor, aut ani-

aut animi defectio, qua finita, vomitus incidit, modò pituitam, modò bilem trahens, inter quæ frequens sibilus aurium est. Porrò si ab aliquo loco corporis exteriore malú oritur, inde fieri raptus velut auræ cuiusdam frigidioris per continuatas partes ad caput sentitur. Morbus autẽ comitialis tum pessimus est, cùm continenter recurrit, atque interualla accessionum habet quàm minima, diuque, vbi inuasit, immoratur: præcipuè si simul multa vertigo est, & difficillima spiratio, & vehemens, longaque corporis agitatio, & post hanc succedens alta, plurimaque quies catochæ similis, sub qua amisisse homo quasi vitam credatur. Quòd si inter hæc nihil iuuare etiã videbuntur remedia, quæ mouendis sternutamentis vtilia sunt: scire licet, in pessimo rem statu esse, magisque vbi ab ore detersa spuma sæpius redit, simulque vehemens tremor, & vociferatio, & stertor est: neque finita accessione meminit quicquam æger, pudoréue mouetur factorum. Idem morbus magna ex parte esse longus solet, ad diem hominis supremum, neque vitæ tamen periculosus, tametsi interdum, cùm recens est, hominẽ tollit crebris, grauibusque accessionibus.

Quomodocunque autem incidit, magis familiaris esse viris, quàm fœminis consueuit: magis pueris, ac præcipuè nuper in lucem æditis, quàm adultioribus, minimeque senibus, atque ætate confectis. Nihil æquè ad depulsionem vicij huius, atque processus ætatis facit. Nam

pueris

pueris ferè post fœminę consuetudinem soluitur,& puellis post orta menstrua. Quod si annum aliquis vicesimum quintũ iam superauit, ægerrimè,aut certè nunquam sanescit,per omnem vitam morbo opportunus,magisque si comitialibus natus parentibus,aut conceptus fluentibus menstruis fuit.Illud etiam non perperam animaduersum est, prægnanti fœminæ si morbus accessit comitialis , hunc, facto partu, solui:& si quid inde vicij fœtus traxit,id magna ex parte conquiescere, vbi , æditus in lucem, protinus euomuerit, multumque eiecerit aquosi excrementi:sin minus,manere morbum. In eodem ipso Alphos albus in capite natus, puerisque crustosa scabies , spem curationis aliquam facit,maximè si morbus non ita diu traxit, & vitæ solummodò secutus intemperantiã est: aut si ab vna parte corporis, sensus venientis accessionis incipit,idque à manibus, vel à pedibus potius, quàm à lateribus , aut ab ipso (quod pessimum est) capite. Nam contrà,vbi totum simul afficitur corpus, neq; antè in parte aliqua accedentis mali sensus est , sed homo ex improuiso concidit , cuiuscunque is ætatis sit,vix sanescit. In eodem morbo si mens læsa est , & neruorum facta resolutio, medicinæ locus nõ est. Illud quoque constare iudicio quorundam video , prorsus pro valetudine esse , si morbo comitiali , longa febris , ac præcipuè quartana accesserit.

Incubus. Incubus,quem ἐφιάλτην Græci dicunt, his notis co-

tis cognoscitur. Per somnum mole aliqua sese opprimi homo, & ab alio vrgeri credit: ipse totus torpidus, ac difficulter mobilis, imaginatione præfocationis ædere vocem non potest, aut eam certè admodum incertam, exilem, & malè discretam ædit, tandem hoc casu vehementer anxius, perrupto somno, repentè expergiscitur. Malum hoc familiare est hominibus crapula, & multa sæpè cruditate oneratis. Deterius est, vbi per noctem etiam vigilantibus incumbit. Si verò vbi idem dormientes occupat, post expergefactionem frigidi oriuntur sudores, & cordis tremor, pessimum est. Vix vnquam incubus accidit in latus cubantibus. Qui hac ægritudine multo iam spacio temporis, ac frequenter occupantur, huic graue aliquod capitis malum, puta vertiginem, morbum tum attonitum, tum comitialem, maniã, neruorum distentionem, aut subitam mortem impendere sciendum est. Scilicet hoc modo repertos mortuos, in ipso etiam cubili, multos esse constat.

Attonitum morbum, qui græcè ἀποπληξία dicitur, etsi interdum nulla ferè signa præcurrũt: magna tamen ex parte antecedunt capitis subitus, acutusque dolor, & vertigo, & oculorum caligo, & dentium in somno stridor, & totius corporis, maximeque extremorum frigus. Tum repentè homo, velut attonitus, cum clamore corruit, moxque clausis oculis stertit, & magna spiritus orta difficultate tantũ non præfocatur,

Morbus s. Apoplexia attonitus.

focatur, perinde laborante pectore, ac si vinculo quodam astrictum, attolli prohiberetur: adhæc sensus motusque omnis perit, vnica miseris à spiritu spe vitæ reliqua. Is spiritus prout aut facilè, aut molestè trahitur, morbi modum, omnemque magnitudinem ostendit. Quare etiam pestiferum esse sciendum est, si vel intermittitur multum spiritus, aut summa difficultate trahitur. Minus horrendus casus est, vbi cum spiritu non difficillimo, sumpta pocula nō resiliunt per nares, sed penitus descendunt. Quicunq; verò morbus attonitus magnus est, sanari non potest: qui leuior, ægrè potest. Idem rarò sine altero corporis resoluto latere, conquiescit, idque ferè primis fit quatuor diebus, quod spacium si morbus transit, occidit. Sæpè tamen adeò leuiter aliqui sic laborauerunt, vt solo distorto ore, sensuque, ac motu lapso, neque spumauerint, neque sterterint, remedijsque curati, nulla orta neruorum resolutione, conualuerint. Morbus autem attonitus ei magis familiaris est, qui annum iam quadragesimum, nondum sexagesimum excessit: vtique si idem frigidæ naturæ homo est, crebraque grauitate capitis, & sopore, & oculorum caligine afficitur, si breui & angusta ceruice est, si ipse totus sine negocio deses, potationibus, atque ingluuie perditam vitam ducit. Adolescens autem, & eo ætate paulò grandior, sic laborare, non nisi maximis de caussis potest, aut quiuis etiam alius, quum tempus æstiuum est. Sub his enim

enim casibus ferè mors sequitur. Opportunior morbo hyems est: vtique si præfrigidi venti spirant, densæque nebulæ cælum obsident. Cæterùm vtile est in hoc morbo hæmorrhoides patefieri: inutiles sunt frigiditates, & torpores: mortiferi propter impeditum spiritum orti sudores. Per eundem morbum sæpè, quod multis videtur extinctũ corpus, vitam habet, præcipueque fœminarum, & horum quoque virorum, quibus frigidior est natura. Remomnem pluuia detegit coram naribus, atque ore suspensa, aut certè vasculum aquæ plenum, atque sic supra pectus impositum. In his si motus fieri aliquis videtur, supereſt æger: si summa immobilitas est, perijt. Minimè alienum id videatur quod Hippocrates memoriæ prodidit: sanum hominem subito dolore capitis raptum mutumque redditum, ac stertentem, intra septimũ diem interire: seruari autem, si ante eum diem febris venit, posse.

Proxima modo videatur obseruatio, quæ neruorum debetur resolutioni, Græci παράλυσιν appellant. Ea autem, cum morbo attonito succesſit, παραπληγία græcè dicitur, ac modò omne corpus quod capite inferius est, occupat, modò alterum eius latus duntaxat. Cum autem nullo antecedente morbo incipit, interdum & compræhensa quoque loca tenet, interdum vnam quampiam partem, vt linguam, vt oculum, vt maxillam, vt labrum, vt brachium, vt crus, & huiusmodi. Huius itaque resolutionis

Paralysis.

Resolutio neruorum

nuncius ſtupor eſt, ex quo ſcilicet ſenſim creſcente illa naſcitur. Prius autem genus plus periculorum habet, ſæpeque in morbum attonitum reuertit, poſterius hoc: etſi æquè ferè diuturnum, longè tamen eſſe mitius ſolet. In vtroque aliàs ſenſus integro motu perit, aliàs illæſo ſenſu motus, nec rarò (vbi conſummatum id vicium eſt) ſimul vtrunq;. Vbi hic morbus alterum latus affecit, id nonnunquam frigidum deprehenditur, altero, quod integrum eſt, ardeſcente. Oculus quoque, è directo lateris eius, quod morbum ſuſtinet, minuitur. Per eundem morbum pulſus languidus eſt, & paruus, & tardus, & rarus, & mollis: interdum etiam creber, inæqualis, ſed nonihil ſine certo ordine intermittens. Vrina tenuis ferè, atque diluta eſt, tametſi nonnunquam propter imbecillos renes rubea ſit. Idem malum ſemper longum eſſe ſolet, ſæpeque, alios morbos excipiens, finit: puta morbum (vt proximè dixi) attonitum, itemque longas febres, coli dolorem atque ab vtero factum ſtrangulatum. Crebrò etiam per hyemem incidit, ægerrimeque in ſene tollitur, præcipuè ſi iam in vetuſtatem incidit. Idonea ad medicinam tempora ſunt, primum æſtatis, dein veris: vix quicquam ſperari hyeme, vel autumno poteſt. Quæ verò pars reſoluta eſt, ea facile refrigeſcit, grauisque eſt, mollis, & laxa, tandemq; vbi morbus inueterauit, macie conſumitur. Tum profectò vix vnquam ad priſtinum ſtatum reuertitur, præcipuè ſi motu penitus ca-

tus caret, similemque colorem reliqui corporis non exhibet. Quælibet autem neruorum resolutio mediocris vix sanatur, vehemens sanari non potest. Eadem vbi ex rupto neruo, aut transuersim inciso nata est, non curatur. Pro valetudine est, febrem accedere, vel tremorem fieri.

Erasmus. Distentio neruorum

Quoniam de vicijs agere cœpi neruorum, non videtur omittenda eorum distentio, quæ Græcis σπασμός appellatur. Membrum sic contrahitur, vt reduci ad pristinum habitum non possit, neruis, musculisque versus suam originem, præter voluntatem, conuulsis, idque cum vehementissimo dolore, qui vires subinde hominis consumit. Quod ad pulsum attinet, arteria tenditur, & vndequaque sese colligens coit, eademque veluti chorda, quæ stringitur, & laxatur, sursum, deorsumque fertur. Hic morbus rarus quidem, at multùm acutus est, citoque adeò occidit. Quum repentè sanum hominem adoritur, repletionis sequitur causas, vtique si necessariæ vacuationis facta suppressio est, si intermissa exercitatio, & cõtinuata pocula fuere: vbi verò magna febris, aut superflua vacuatio, aut nimius labor, maximeque vigilia, atque inedia antecesserunt, scire licet id ipsum vicium ab inanitione proficisci, atque inprimis horrendum esse, vixque vlla medicinæ ope sanabile. Itaque rectè id ab Hippocrate animaduersum video, post acutas febres, & effrenatas, præcipueque veratro tentatas purgatio

gationes, & post grauissima vulnera, aut post quamuis aliam sanguinis profusionem, semper mortiferam neruorum distentionem esse. Scire autem licet, sæpè hunc morbum febricitantibus subitò, sine vllis præcurrentibus signis, accidere, factoque bilis vomitu, protinus conquiescere: proin eius caussa ad stomachi affectum, non ad febrem referenda est. Porrò est etiam leuis quædam neruorum, musculorumque distentio, quæ à flatibus oritur, Græcisq; ἀπαισμὸς φυσώδης appellatur. Nam etsi maximum dolorem, eum tamen perbreuem, ac non magis hora durabilem exhibet, sola frictione mitescentem. Id vicium sæpè manuum, pedumque digitos, interdum & crura tentat, summo ea cruciatu extendens, vel in sese contrahens. Iis autem familiare est qui crapulæ dediti desidem vitam agunt. Distentio neruorum semper in pueris, præcipuè nuper natis frequentior, & curatu facilior esse consueuit: quanquam interdum in ijs ipsis periculum habet, maligna febre raptis. Scilicet post septimum ætatis annũ, nemo puer distentione afficitur neruorum per febrem, nisi hanc acutissimam, & malignam. Opportunus autem dum febricitat, huic morbo is puer est, cui aluus diu compressa est, cui vigilia, & terror, & coloris mala mutatio accesserunt. Nouisse autem oportet, eundem morbum aliàs vni membro infestum, vt oculo, cuti quæ in fronte est, linguæ radici, maxillæ, labris, brachio, manui, cruri, sed eum grauissimum

mum in ceruicibus esse: aliàs loca omnia capite inferiora obsidere: aliàs tota corpora conuellere. Priora genera duo, τετάνου appellatione Græci compræhendunt, quem Latini rigorem neruorum vocant. Nouissimum genus in morbo comitiali est, sub quo, quia caput quoque ægrotat, simul & mens, & sensus vitiantur, fitque non continuata, vt in superioribus, afflictio: sed ex temporum recurrens intervallis. Ergo, quoniam huiusce morbi obseruationes suo loco proposuimus, rectè modò de rigore neruorum agemus. In hoc flecti ceruix vel corpus non potest, sed rectà intèditur, id τέτανον dicunt: quum in priorem curuatur partem, sic vt mentum pectori iungatur, tum græcè ἐμπροσθότονος esse dicitur: quum autem in posteriora conuellitur, caputque committitur scapulis, ὀπισθότονον vocant. Præter has notas aliæ etiam sequuntur. Nam facies rubet, atque dolet, maxillæ, ac si ligneæ essent, obrigescunt, os vix patefit, oculi distorti illachrymant, riget dorsum, vix contrahuntur crura atque manus, præcipuè in tetano. In opisthotono autem vociferatur etiam æger, & ingentibus doloribus excarnificatur: crescentibus his exilit è cubili, & magnas nugas dicit: mitescentibus, melior mens, & tranquillitas redit. Idem pollicem pugno includit, neque crura contrahit, neque manus extendit: interdum etiam accedente morbo, vocis vsum amittit, & omnia similis homini furibundo redditur: sub quo casu certum exitium

Tetanus. Rigor neruorum.

est, magisque si viribus æger caret, & insudat, & pocula per nares reijcit. Rigor neruorum omnis hominē intra quartū diem tollit, quē si is trāsit, cōualescit. Vbi moritur aliquis, potionē, & sorbitionē, & pituitā per nares extundit.

Catarrhus, s. Destillatio

Nunc de destillatione loquar, quam Græci communi nomine κάταρρον appellant. Leue est, è capite humorem in nares labi: peius, in fauces, & in asperam arteriam: pessimum in pulmonem. Si in nares materia fertur, eaque frigida, & ignaua est: tenuis per has pituita stillat, caput leuiter dolet, sed multum graue est: ex somno oculi caligant, frequentia sternutamenta sunt, extima pars narium friget, sæpè grauedo has intus obstruit, vocemque offendit: Inter hæc ferè vrina cruda, atque turbida est. Si materia autem in fauces, & in asperam arteriam ruit, raucitatem, & tussiculam mouet. Si in pulmonem, grauem tussim, ac spirandi difficultatem: atque hinc eam sputo expurgari intra vigesimum diem, obseruatione Hippocratis constat: quod nisi fit, ferè in Anhelationem, quæ græcè ἄσθμα dicitur, transit. Porrò si caloris caussa subest, rubet facies, humorque acris, salsus, & tenuis destillat, vehemēs cibi fastidiū est, sonant aures, arteriæ multum mouentur in capite: tumque magna ex parte febris oritur, ex qua malum tamen nihil leuatur. Sæpè etiam eo tempore procliue periculum inflammationis laterum est, quem morbum Græci πλευρῖτιν vocant, maximè si tum quoque is ipse passim in popu-

populum grassatur. Iam verò si in fauces, aspe-
ramque arteriam humor hic decumbit, præter
tussiculam, & raucitatem, etiam hæc loca exas-
perat. Si in pulmonem irruit, præter sternuta-
menta, & difficilem tussim, assunt capitis gra-
uitas, sitis, lassitudo, æstus, biliosa vrina. Vt cæ-
tera genera destillationis ferè sine metu, sic hoc
istud periculosum est, itemque certò pestife-
rum, vbi pulmonem exulcerauit, vnde grauis
oritur tabes, quæ hominem spacio consumit.
Hanc tabem vel esse, vel instare, inter cętera in-
dicat vrina oleacea, magisque id vicium time-
ri debet, si iam vetus destillatio, corpus tenue,
atque procerum tenet. Nonnunquam autem
& loca septo transuerso inferiora humor impe
tit, nempe ventriculum, cuius appetentiam con
coctionemque subuertit, & quæ in eum inge-
sta sunt, corrumpit: nec rarò etiam vbi is acris
est, ventriculi tunicas erodit, atque alui profiu-
uium mouet. Interdum etiam & venas mesen-
terij, & Colon conuellit. Destillationibus ij
magis expositi sunt, quibus, cum subiecto vi-
scere intemperanter calido, puta corde, vel io-
cinore, vel renibus, caput natura imbecillum
est. Idem, quem dixi, morbus ægerrimè in sene
matureścit, itemque in eo, cui simul continuò
caput dolet. Nullum anni tempus æquè oppor
tunum destillationi, atque Autumnale est: tum
enim variè, sæpeque cælum mutatur, quæ res
iudice Hippocrate, maximè destillationes mo-
uet. In eodem morbo, pro valetudine est, ad

nares, vel ad os fluxionem verti.

Magnis & varijs casibus oculi nostri patent. Ex quibus magis in vsum venire medici consue runt Suffusio, & Lippitudo. Incipiam itaque à suffusione, quam Greci ὑπόχυμα nominauerunt. Suffusio. Visio paulatim hebescit, primumque assiduè obuersari oculis videntur quasi pusilli culices, vel muscæ, vel alia lucentia, caliginosaque rerum simulachra, incerto motu huc illuc acta. Interdum veluti tenuia quædam filamenta, aut tælæ araneorum offeruntur. Alijs lucernam intuentibus, cingere eam tanquam circuli quidam obscuriores videntur: post hæc pupilla turbida esse incipit, & tenebrosa, & malè serena. Denique pro suffusionis ob pupillam figura, variæ offeruntur rerum imagines: tantisper autem hæc ista interposito tempore crescunt, donec crassescente materia, totus aliquis cæcus fiat. Ferè autem id vicium, neque incipit simul in vtroque oculo, neque simul, vel simili modo cernitur: Interdum alterum occupat duntaxat. Semper autem vbi natum est, immoratur, assiduis rerum simulachris oculos illudens. Quibus nominibus ab eo suffusionis differt genere, quod ab stomacho proficiscitur: id enim & intermittit, & remittit, si curata concoctione prospectum stomacho est: inualescit autem, vel reuertit, si is cruditate labefactatur. Quinetiam eodem tempore, eodemque modo ambos afficit oculos, quos si quis intuetur, nihil in sese habere obscuritatis, vel concreti humoris compe

riet.

tiet. Vera oculorum ſuffuſio, ſi longa vetuſtate occupatur, curari non niſi acu poteſt: quod tamen auxilium, niſi eo quoque tempore adhibetur, quo id quod concreuit, ſatis firmum ſit, vt ſubijci acui poſsit, anceps eſſe ſolet. Ergo ſi quod accreſcit, perfrictum diducitur, & ſic manens, iterum non cõtrahitur: tum ſi æger quoque viſione penitus non caret, ſed quædam etiamnum rerum ſimulachra cernit, itemque ſi malum nondum tertium annum, vel quartum, vel quintum ſuperauit, ſcire licet nimis recens id eſſe, & acui inidoneum. Propter vetuſtatem autem curationi reluctatur, ſemelq; ablatum, protinus recurrit, quod clauſo oculorum altero nullis aut cõpreſsionibus, aut perfrictionibus dilatatur, ſimulque omnem ſemel viſum abſtulit. Cæterùm id tutò curari poſſe videatur, quod vbi perfricatur diducitur, iterumque rediens iungitur, coloremque exhibet obſcurè album. Nam quod nigrum, vel liuidum, vel vehementer flauum eſt, id neque medicina curari, neque acu poteſt. Porrò quæ ſuffuſio oculis propria, nihil vnquam concreſcentis materiæ intuentibus exhibet, ſed penitus ſerena eſt: ea perpetuam cæcitatem inuehit, nullumque remedio locum præbet.

Lippitudo autem, Græcis ὀφθαλμία dicta, ſic cognoſcitur. Vehemens oculos vrget inflammatio, cum multò dolore, & tenſione, & tumore, & ardore, & rubedine: interdum tanta etiam cum punctione, vt oculi tanquam ab infixa acu, *Lippitudo.*

fixa acu, aut ſpina ſtimulari videantur. Iidem feruenti lachryma implentur, ſequiturque pituita modò paucior, modò vberior. Sed & ſordes quædam maioribus angulis oculorum inhæreſcunt, & vbi grauius malum eſt, vicina etiam loca ad malas vſque attolluntur, circumcircà arteriæ vehementer pulſant, ipſa inflammatio ex oculorum angulis in omnem adhærentem membranam diffuſa eſt. In hac tenues oculorum venæ turgent, conſpicuæque redduntur hæ, quæ per ſanitatem in oculorum albo fuerant obſcuræ. Ferè autem quod toto oculo album eſſe debebat, rubeſcit. Hic morbus tum maximè metui ſolet, cùm ſecunda valetudine ſępè tempora dolent, noctuque corpora inſudant, & frons prurit. Principium autem morbi eſſe oſtenditur, quandiu tenuis ex oculo pituita fertur: vbi ea craſſeſcit, albaque fit, incrementum eſſe: vbi tota craſſa, multaque eſt reddita, perque ſomnum oculos veluti glutino oblinit, veniſſe iam ſtatum ſignificat: declinatio eſt, vbi & pituita, & ſigna morbo propria minuuntur. Optimum autem eſt ſimul & lachrymam, & pituitam, & tumorem eſſe cœpiſſe, ſic vt lachryma non multum calens pituitæ albæ, ac molli permiſta ſit, & tumor leuis, non tamen prædurus. Tum nanque palpebræ per quietem conglutinantur, neque dolores æquè afficiunt vehementer: ipſe morbus tutus, ac minimè diuturnus eſt. Quod ſi autē lachryma multa, & feruida eſt, pauciſſimaque pituita, tumor

Imminentis ophthalmiæ notæ.

tamen

tamen exiguus, viciumque in altero oculo est: scire licet dolore id, atque periculo multo carere, sed casurum in vetustatem esse, neque solui antè vigesimum diem posse, multis ad quadrageſimum vsque durare, quibusdã etiam ad ipsum extendi sexagesimum consuesse. Itaque tanto spacio formidari etiam exulceratio solet. In omni autem lippitudine, pituitam, quæ fertur, albam esse oportet, & mollem, & lachrymæ perfusam, maximè vbi in propinquo iudicatio est. Pituita aridior dolorem quidem abundè mouet, at citius, nisi si quid exulcerauit, desunt. Nullum verò habere periculum tumor magnus solet, si expers doloris, & siccus est. Quum dolorem exhibet, malus est si siccus est, metusque fit, ne exulceretur oculus, ac concrescat. Sed & malè securus tumor est, cui lachryma iungitur, atque dolor. Vbi enim lachryma fertur calida, ac salsa, periculum exulcerationis, & pupillæ, & palpebris affert. Iam si tumor quidem consedit, at copiosior diu profluit lachryma, scire licet euersionem palpebrarum viris instare, fœminis autem, atque pueris etiã exulcerationem. Lippitudine affectũ, alui corripi profluuio, bonum. Si lippientibus caput assiduè, longoque tempore dolet: futuræ cæcitatis metum denunciat. Interdum lippitudo ex vno oculo in alterum, quadam veluti contagione transit, idque ominis non mali esse creditum est.

Ab oculis ad nares descendam. Ex his cruor tanto

Sanguinis è naribus fusio.

tanto impetu interdum fertur, vt hominé inanitione exanimet. Tum certè color corporis pallidus fit, aut liuidus, aut subuiridis, extrema vehementer refrigescunt, & mortis proximæ nuncia oritur syncope. Quibus sæpè è naribus sanguis fertur, his ferè aut lienis tumet, aut caput dolet, aut caligines oculorum, suffusionesque fiunt. Si pueris sanguis è naribus fluxit, dein fluere procedente ætate desijt, necessum est eos vel graui articulorum exulceratione affici, vel aliquo demum morbo debilitari oportere. Cui fauces sanguine interdiu, noctuque replentur, sic vt neque caput, neque præcordia doleant, sed nec tussis, nec vomitus, aut febricula antecesserit, huius in naribus, aut in faucibus vlcus est. Sanguinem ex contraria regione erumpere, malum: vt in liene magno, si dextra nare emanat: aut in iocinoris inflammatione, si sinistra.

Prognost.

Tonsillæ.

Nunc de faucium morbis dicam, primumque de tumore tonsillarũ, qui deglutitionis molestia plus terroris, quàm periculi exhibet. Is tumor intuenti, tangentique intus obuius est, moleque sua impedit, quo minus homo potionem, saliuamque possit suam deuorare. Qualiscunque hoc loco rubor, at nullus ardor est. Sæpè hic tumor inflammationem ascisçit, tumque dolor & ardor, & maior rubor, & sitis, quorum nihil in superiore vicio animaduertitur, assunt. Facta, ruptaque suppuratione, materia in os, & in fauces fertur, oritúrque vlcus sordi-

sordidum, cuius putri nidore ipse quoque spiritus fœtet.

Columella etiam, vbi vel laxatur, vel (quod rarum est) inflammatur, animaduersione non indigna est. Ea è palati extremo propendet, inque fauces, & gulæ caput fertur. Itaque hæc loca titillatione quadam afficit, metuque præfocationis sollicitat. Crescente inflammatione, ima eius pars grandescit, summa tenuis est, tumq; malo Hippocrates τῆς σταφυλῆς, id est, vuæ nomen dedit. Rarò hic morbus, si protinus ab initio rectè curari cœpit, hominem tollit. Columellam ita, vti dixi, tumidam, & rubentem, magno periculo incidi Hippocrates scripsit: grauior enim hinc inflammatio, & sanguinis profusio sequuntur, maximè si succis plenum corpus est. Quibus præsecta est Columella, his pulmo facilè læditur, fereque eos homines tabes perdit.

Columella laxata

Vua.

Proximum est, obseruationes anginæ, quã Græci συνάγχην dixerunt, proponere. Sub hoc malo fauces, id est, extremæ gutturis, gulæque partes, quibus cibus, spiritusque introfertur, inflammantur: fit spiritus hoc nomine difficilis, molestaq; deglutitio, sic vt interdum sumpta pocula per nares resiliant: accedit autem acutissimus dolor, tumor, rubor, calor, & febris, aërisque frigidi cupida attractio. Leuissimum malum est, vbi tumor tantummodo, & rubor in sola ceruice, eiusque musculis insunt, cætera non sequuntur. Eò grauius est, tum in

Angina.

Prognos. peric.

hisce

hiſce locis, tum in faucibus interioribus, tumorem, calorem, ruborem, doloremque verſari. Penè grauiſſimum eſt, foris nihil horum eſſe, omnemque morbum intus conſiſtere, ibique (validè depreſſa lingua) ſpeciem ruboris, tumorisque eſſe: ſemper autem vehementiſſimum dolorem, ac ſummum ſtrangulatus metum accedere. Porro mortifera eſt, atque omnium horrendiſſima angina, citiſſimeque incidit, & necat: quæ neque in ceruice, neque in faucibus quicquam conſpicui, vel tumoris, vel ruboris exhibet, ſimulque ſummi doloris tormentum, & vehementem febrem, atque tantum non præſentem ſuffocationē infert. Tum profectò oculi vertuntur, & rubent, & veluti ijs qui ſtrangulantur prominent: vox impedita nihil ſignificat, & qualis catulorum eſt, tenuis æditur: os apertum hiat, frigidi aëris cupidum, ex eoque ſpumans ſaliua mouetur: lingua exeritur, crebroque, vt in anhelis propter laboris impetum equis, agitatur: potui datus liquor per nares remeat: labra liueſcunt: ceruices rigidæ contractæque ſunt: ipſe æger totus inquietus eſt, crebrò è cubili exilit, moleſtè ſupra dorſum, commodius recto collo atque capite cubat, videt, auditque obtusè, & præ ſuffocatione non intelligit, quid audiat, quid dicat, aut gerat, tandem verò ſtrangulatu, atque ſyncope oppreſſus, perit: id quod horis à cœpto morbo octodecim, integra mente atque ſenſu quibuſdam accidiſſe, doctorum virorum obſeruatione con-

ne constat. Semper autem sub hoc casu, mors vel primo die, vel secundo, vel ad summũ quarto occupat. Salutis in angina signum facilis spiritus est, facilisque saliuæ, ac potionis deglutitio, febris non vehemens, quies, somnus, leuamentum doloris, cæteraq; ijs contraria, quæ superius compræhensa sunt. Æquè bonum signum est, ruborem, tumoremque quàm maximè foris in collo, & in pectore consistere. Tum nanque extrà ferri morbum sciendum est. Pernicioſum autem est, tumores sine bonis signis, sine manifesta causſa desisse, itemque præcordij dolorem sine iudicatione sub infirmis viribus, atque corporis torpore coortum esse: siquidem tum latenter mors adoritur, tametsi perquàm rectè habere se æger existimet. Omnia autem in eodem morbo pestifera sunt, quæ non manifestum dolorem exhibent, neque in collo (vt modò proposui) neque in faucibus euidentem tumorem. Si autem tumor, atque faucium rubor est, ingens quoque periculum ostenditur: sed morbus longior erit, vtique si maior rubor est. Morbus quoque producitur, vbi & fauces, & ceruix, & pectus simul rubent: quem casum ferè secunda valetudo sequitur, modò rubores non intrò recurrunt, id quod tum metuendum est, cùm subitò hi euanescũt, simulque pectus graue fit, ac difficiliorem homo habere spiritum incipit. Tum profectò malum ad pulmonem vertitur, & delirium mouet, & pulsum facit vndosum, intraque septimum

mum diem occidit, aut certè aliqua parte ſuppurat, niſi ſubinde pituita tuſſi educatur. Suppuratio autem pectoris ex prægreſſa angina ita noſcitur. Faucium dolor ſine certa ratione ſubitò deſijt, febrisque multum remiſſa eſt, inſolita grauitas pectori iuxta ſeptum tranſuerſum acceſsit, vehemens etiam tuſsis, ac ferè per omnia ſine ſputo ſicca eſt. Aliud genus oritur febris, inordinatum, languidum, atque hecticũ. Iam autem cùm in angina repente euaneſcit rubor, idque die non iudiciali, ac neque tumor extrà vertitur, neque pus tuſsi excreatur, æger autem quietus, ac ſine dolore eſſe cernitur, ſcire licet, aut mortem inſtare, aut reuerſurum ruborem eſſe. Periculoſum etiam eſt, non citò concocta excreari, ſputumque violenter educi, idque viſcoſum, craſſum, vel valde album eſſe. Æquè malum eſt ſubaridum, multamque tuſſim, ac lateris dolorem mouens, & quod interpotandum per tuſsim ſubemergit. Angina omnis, per iudicationem alterius morbi orta, lethalis eſt. Obſeruatur autem & aliud eſſe genus anginæ, quam notham dicimus, neque acutorum accenſemus numero morborum. Ea frigidum humorem ſecuta, febris eſt expers, nullum autem neque ruborem, neque ardorem, aut febrem, aliquem tamen dolorem exhibet. Illud vicium vt longius, ſic & tutius eſſe conſueuit.

Vulnera cerebr.

Vulneratis cerebri membranis, ſequitur bilis vomitus, & dolor incidit non leuis, qui intento

tento ſpiritu, & adductis maxillis creſcit. Ipſæ cruorem nares, & interdum aures fundunt: alijs trux vultus, alijs oculi, quaſi reſoluti, huc illuc mouentur, ſenſusque omnis, velut attonitus, ſtupet: nec parum multis, neruorum accidit diſtentio. Accedente poſt hæc inflammatione, febris oritur, itemque delirium, ſub quo multi faſcias, quibus deligatum eſt caput, lacerant, & nudum vulnus frigori exponunt, omnia citæ mortis præſagia. Ipſo autem percuſſo quoque cerebro (quod facilius plena incidit luna) hæc ipſa, quæ propoſuimus, grauiora ſunt omnia, oriturque ingens delirium, vel tertio, vel quinto die. Quinetiam ipſius interdum excidit cerebri particula. Quod ſi ad huius quoque partis ventriculos telum, maximeque per tranſ foſſos oculos penetrauit, protinus homo vitã amittit. Nemo eorum quibus vulneratum cerebrum eſt, redire ad ſanitatem poteſt. Vbi alijs partibus caput ictum eſt, optimum iudicatur febrem non eſſe, neque auribus cruorem, vel naribus, vel ore promanaſſe, neque inflammationem, neque vllum ſimul dolorem acceſſiſſe. Si autem quid horum inciderit, tutiſſimum eſt inter ipſa incidere initia, neque diu tamen immorari. Conducit etiam ſub acutis doloribus inflammationes apparere, & pus in ſanguinis eruptionibus ferri. Cæterùm peſſimum eſt ſtuporem, aut delirium acceſſiſſe: itemque lethale, febrem die quarto, aut ſeptimo, aut vndecimo eſſe cœpiſſe. Itaque pereunt plerique

omnes: si quarto die febris orta est, ad vndecimum: si septimo, ad decimumquartum, aut ad decimum septimum: si vndecimo, ad vigesimú.

Obseruationes in vicijs pectoris, & cordis vtiles.

PEctus lateribus cingitur, intus pulmo atque corsunt. In his varia genera morborum fiunt, quæ nunc proponam. Incipiam autem à laterum inflammatione, quam Græci πλευρῖτιν dixerunt. Ea has notas habet; Pungens atque distendens dolor latus exercet, isq; modò ad iugulum, & ad clauiculam, modò ad præcordia, pro situ morbi, procurrit: febris ad est acuta, & continua: & spiritus difficilis, frequens & paruus: accedit etiam tussis, initio quidem sicca, qua nihil expectoratur, sed mox ferè humida ea fit, ex locoque affecto ducere aliquid incipit. Id primo flaue coloratum, postea rubrum, ac cruentum, dein maturata inflammatione, purulentum est. Pulsus autem frequens est, & inæqualis, durus, tensus, neque nimis magnus. Hunc morbú (vt si quid aliud) sputa bona citò, facileque reiecta, & salubrem fore, & breuem ostendunt. Itaque esse id malum in principio statuitur, dum nihil excreatur de latere affecto: sed tenuis solummodo è pulmone pituita, vel crassum quid, & tenax, & rotundum, idque cum difficillima tussi fertur. Incrementum morbi dicitur, vbi sputum iam vtcunque concoqui cœpit, maioreque copia, & faci-

πλευρῖτις.

Prognos.

& facilius flauum educi, & ex liquido magis crassescere, & ex cruento magis album fieri. Status autem ex plurimo cognoscitur, sputo, eoque albo, læui & æquabili, quod & promptè reijciatur, & maximè dolorem leuet. Declinatio deficiente dolore, & sputo, & febri, similibusque alijs animaduertitur. Sed sputi vbique intueri notas oportet. Optimum enim id esse iudicamus, quod modò in statu esse huius morbi propositum est. Proximum est id, quod statim flauo admodum mistum est. Quod si non protinus, at longè post dolorem educitur flauum, vel non mistum, multamque tussim mouens, malum est. Flauum autem sanguine mistũ nõ multo, in principio quidem, salutare est, septimo verò die, aut pòst, minus tutum. Subcruentum ab initio malum non est. Syncerum autem, vel cruentum, vel flauum, periculosum est, sic, vt hoc tamen deterius illo sit. Malum est etiam ex cruda pituita album: tum viscosum quoque & rotundum inutile est. Eò deterius est id, quod ex virore valde pallidum est, itemque quod spumosum, & quod liuidum, vel æruginosum est. Mucosum autem quod ad concoctionem citò coloratur, idque intra quintum diem, tutius est. Vehementer autem cruentum periculosum est. Sic autem se res habet: Omne sputum quanto magis commistos, non inter se diductos colores habet, tanto deterius est. Et tamen nihil peius est, quàm syncerum id excreari, siue flauum est, siue cruẽtum, siue glutinosum,

nosum, siue spumans. Quod si ita meracum est, vt etiam nigrum sit, præcipueque si vnà etiam fœtidum, hoc ipsum omnium pessimum est. Omnia verò mala sputa sunt, quæ dolorem nō sedant: optima, quæ sedant. Quicunque incipiente hoc morbo sputum excreat omnino purulentum, is tertia die, aut quinta perit: quod spacium si transit, haud multo melius valens septima die, aut nona, aut certè vndecima, incidere in suppurationem potest: Etsi perquàm rarò obseruatum est, quenquam supra diem durasse quartum decimum, qui purulenta septimo, aut antè spuerit. In omni lateris inflammatione, dolores magis ferè interdiu, quàm noctu leuiores sunt. Eundem morbum in neruorum rigorem, vel distentionem (illum τέτανον dicunt, hanc σπασμὸν) verti, pestiferum est: æquè vt in pulmonis inflammationem, quæ græcè περιπνευμονία vocatur. Ad cerebrum etiam aspirare materiam, ibique delirium, amentiamque facere, mortiferum est. Idem exitium denunciatur, si morbus dorso inhæresçit. Tum autem (α) rigor inuadit, & febris, & molestissima tussis, ipsumque dorsum, tanquam illata plaga verberatum, dolet, cumulataque fit cum suspirio respiratio: pauca autem tussiendo eliduntur, modò ex virore pallida, modò etiam subcruenta: dolor in inguina incidit: tertio quartoue die vrina meitur cruenta, totum corpus uelut ex itinere lassum est: mors occupat die quinto, aut certè septimo: quem diem si morbus (quod ta

men

(α) Prognos.

men rarò fit) ſuperat, ſaneſcit. Lateris inflammatio omnis ſenibus, & fœminis vterum ferentibus pernicioſa eſt, itemque ijs quibus ſecundò iam, tertioue recurrit. Occidit autem hic morbus, aut magnis ſymptomatis, aut præfocatione, aut materiæ tranſlatione ad alium locum, vnde inflammatio pulmonis, tabes, ſyncope, inſania. Dixi ſub quibus caſibus certum exitium eſt, nunc, in quibus graue periculum vertitur, proponam. Ergo ſi ſputum multum intus in pectore ſtrepit, & triſtior vultus eſt, oculi colore auriginis imbuti, ingens eſſe vitæ diſcrimen ſignificatur. Periculoſum quoque eſt nihil expui, neque quicquam à pulmone extundi, ſed plenum feruere in gutture. Æquè malum eſt hominem antè probè ſpuiſſe, ac dein ex toto ſpuere deſiſſe, ſic vt ſubinde neque grauitas in pectore, neque dolor ceſſent. Metum quoque non leuem facit pectus vehemẽter calens, extremis multum frigentibus, itemque increſcens dolor, cùm in latus vel infirmum, vel ſanum, cubatur, ſic vt ſupinum eſſe ægrum neceſſe ſit: adhæc longè poſt morbi principia infirmis iam viribus fuſa aluus, ex qua non corporis inquietudo, non ipſe ſpiritus leuetur. Æquè graue diſcrimen eſt, ſi morbus dolores ſupernè exhibet, aut in poſteriorem corporis partem, aut ſi ſiccus is, & ſine ſputo eſt: niſi ipſe tamen ita per ſe leuis ſit, vt parum materiæ videatur expurgãdæ. In ſiniſtro etiam latere plus periculi, quàm in dextro habet: verùm in ſiniſtro

ſtro citius matureſcit, & ſoluitur. Omne verò morbi huius periculũ, ferè maximũ eſſe, vel ſeptimo die, vel nono ſolet. Atq; hæc omnia terrere aliquo periculi metu poſſunt. At ſecuritatis indicia ſunt, protinus à primo die facilè expuiſſe, & flauum ſputo miſtum eſſe, eoque dolorem leuari, non ægrè hominem ferre morbum, facilè reſpirare, ac ſine ſiti eſſe, itemque ſtrepitum in pectore non fieri: adhęc ſomnum, ſudorem, vrinas, aluumque probè habere: totum denique corpus æquali calore temperatũ, ac molle eſſe.

Vbi huius morbi dolores non conquieſcũt, neque miſſo ſanguine, neque ſputorum excreatione, neque victu, neque fomento, aut medicamentis, & tamen non lethaliter affectus æger videtur, ſcire licet ſuppurationem, ſeu abſceſſum fieri. Qui caſus certiſsimus fuerit, ſi intra dies quatuordecim morbus ſputo non depurgetur. Orta autem ſuppuratione, ſi ea poſt ruptionẽ omnis intra dies quadraginta excreationibus tollitur, ſanitas redit: ſi non tollitur, tabes ſequitur. Quæ verò ſuppuratio ſputo etiamnum biliioſo orta eſt, ſiue id ſyncerè biliioſum, ſiue vnà cum pure eſt, maius periculum minatur, præcipuè ſi quum ſeptimũ iam diem morbus attigit, ſuppuratio ab huiuſmodi fieri ſputo cœpit. Metus enim eſt (niſi quid ſubinde interuenerit boni) mortẽ die decimo quarto ſecuturam. Verùm operæprecium videatur, notas, quibus incipere ſuppurationem quis intelli-

telligat proponere. Nihil, aut certè parum tussi, cuius magna tamen cupiditas est, excreatur, simulque febres, & cum noua, insolitaque grauitate dolores acrius vrgent, idque cum aliàs semper, tum maximè per noctem: spiritus etiã admodum difficilis est: venæ sub lingua inalbescunt: malæ rubent: perit cibi cupiditas: crescit potionis desiderium: vigilia exercet: iuxta clauiculam, & collum sudores fiunt. Quòd si fortè malum in vetustatem incidit, oculi etiam caui reddũtur, & in manibus adunci vngues, summique digiti refrigescunt: multis denique sudor toto corpore oritur, & in pedibus tumor. Quod suppurat ea quam afficit parte, inflammationem, doloremq; mouet, multoq; quàm proxima loca, calidius est: & si in partem aliquis non infirmam decubuit, onerare ægram, veluti pondere videtur. Confecto iam pure, paulùm quid & febris, & dolor remittunt, sæpè etiam, prout sensus iudicat, desinunt: verùm grauitas loci increscit, tussis vehemens, siccaque est, etsi ad hanc interdum humidum quid accedit, ex quo leuari subinde homo videtur. At verò vbi iam turgens abscessus perrumpit, horror fit, ac vehementior febris, cor intremiscit, hominisque robur quasi labi videtur, spiritus debiliter trahitur, ipseque æger in sermone conturbatur, offensus inspiratione: pulsus debilis fit, & tardus, & rarus. Sed ne hæc quidem, etsi horrenda videntur, terrere protinus debent, dummodo causſa perrumpentis ab-

ſceſſus, non virium radicitus afflictarum contingunt: vtique ſi ſigna quoque in ſputo & ſimilibus cernuntur bona. Ferè enim ſequitur, vt hæc iſta turba paulò poſt vltrò quieſcat. Quo autem temporis articulo abſceſſus rumpitur, tum tranſfluere aliquid profundo in pectore, prout variè corpus reclinatur, apparet, atque hinc pus educitur modò purum, modò fæculentum. Ruptiones rarò fiunt decimo quarto poſt cœptam ſuppurationem die, rariſsimè ſeptimo, plurimæ in vigeſimum incidunt, aliæ ad quadrageſimum, nonnullæ ad ſexageſimum etiam perueniunt. Supputandum autem ab eo die eſt, quo quis grauitatem loci affecti pro dolore ſenſit, cæteraque ſuppurationis habere ſigna cœpit. Hæc ſigna (inter quæ præcipua potentiſsimaque febris eſt, & poſt hanc ſpiritus difficilis, & dolores) quò plus exhibent afflictionis, hoc eruptio fuerit celerior: quò illa mitiora ſunt, eò hæc ipſa fuerit tardior. Itaque ferè ſequitur, vt ſi ab ipſo principio, vehementior tum dolor, tum tuſsis, tum ſpiritus difficultas fuit, abſceſſus circa diem vigeſimum, vel antè erumpat. Raro quidem, at interdum tamẽ, abſceſſus tum lateris per inteſtina & aluum, tum pulmonis per veſicam cum vrinis expurgari viſus eſt. Sæpiſsimè autem, ac tantum non perpetuò ſeſe in inane exonerat pectoris ſpacium, ex quo materia intra diem quadrageſimũ tuſſi reijcitur: quod ni fit, tabes, vt proximè dixi, ſuccedit. Ex rupto abſceſſu maximè ſine metu eſt

is, cui

is, cui febris, eodem quo ruptio facta est die, conquiescit: ægerque appetere cibum incipit: & venter mollia, compacta, ac probè figurata reddit: & pus facile educitur, album, leue, inodorum, & eiusdem per omnia coloris, & pituitæ omnis expers. Contrà verò is perit, quem febris non defecit, aut quem cùm semel ea defeciſſe visa est, iterum crescens inuadit: item cui cibi cupiditas amissa est, sitis manet, aluusque ex toto liquida est, & pus extusitur ex viridore pallidum, vel liuidum, vel pituitosum, vel spumans. Quodcunque pus sub imbecillis viribus copiosum est, mortiferum est. Æquè metuendum id quoque fuerit, quo specillum, veluti ab igne, coloratur. Atque hactenus veram lateris inflammationem secuti sumus, quæ ex sanguine, eoque potissimum bilioso inter costas, & has succingentem membranam, aut certè in musculis intercostalibus orta est. Verùm, non vt hæc genuina, sed notha est ea πλευρῖτις, Pleuritis notha quæ vel ex distillatione, vel ex flatibus, vel alioqui, etsi vera inflammatio quoq; vt prima est, musculos tamē occupat pectoris exteriores. In hoc morbi genere omnia insunt mitiora, quàm in vera lateris inflammatione. Verùm dolor externa compressione ingraueſcit, molestè æger in partem sanam decumbit, in affectam facilius: pulsus quanquam frequens, & inæqualis, nequaquam tamen (quia non afficitur membrana) aut tensus, aut durus est. Porrò dolor lateris acutus, tum ex distillatione pituitæ, tum ex flati-

ex flatibus, quantum in se est, febre caret. Flatus immanissimi doloris tormentum excitat, quod tamen fomentis, atque frictionibus leuatur, & sæpius etiam discutitur. Is dolor non vni inhæresc it loco, sed ferè huc illuc per latus vagatur. Vbi autem destillatio humoris frigidi caussam morbi dedit, euidens caussa prægressa est. Nam primum ceruices, vel scapulæ doluerunt, hinc materia ad pectoris externos musculos delata, ibi dolorem, quem dico lateris, mouet, qui & pressu cresc it, neque, vt is qui ex flatu est fomentis auscultat. Non rarò autem obseruatum est, ex his quos fieri, dixi, tum ex destillatione, tum ex flatu doloribus, si nimium vel graues, vel diuturni sunt, ortam etiam veram lateris inflammationem esse. Dolere quoque latus tumidi vel iocinoris, vel lienis caussa potest, horum scilicet viscerum pondere membranis retractis. Sed hæc vicia proprijs signis suo loco discernenda, æstimandaque sunt.

Περιπνευμονία. A costis ad pulmones veniam. Horum inflammatio Græcis περιπνευμονία dicta est, quæ his notis cognoscitur. Febris continua, atque acuta est, difficilis spiritus, frequens, & calidus, itemque tussis, & præcordiorum totiusque pectoris grauitas, atque distentio, idque sæpissimè sine dolore: malæ cum tumore rubent, in has subinde quidam veluti igneus feruor aspirare ab inferiore corpore videtur: nares autem simæ in summo sunt: venæ temporum grandescunt: oculi eminent: lingua sicca est, prius ex

flauo

flauo rubescens, dein procedente morbo, crassa, nigráque redditur, tandem etiam finditur, digitoque admoto adhærescit: aliquis etiá medio spacio scapularum dolor versatur: ingens cibi fastidium, frigidíque tum fontis, tum aëris hauriendi cupiditas est: pulsus vndosus, mollis, magnus, celer, rarò bis pulsans, sæpe intermittens, & intercurrens est. Si quid tussi reijcitur spumosum, id est, ac modò cruentum, modò flauum. Ipse æger lubenter supinus cubat: nam in latus reclinatus, quasi enecari præfocatione videtur. Vbi grauius malum est, continuá oritur vigilia, simulque soporosi, sed tamen breues somni tenent, sputum admodum cruentum, ac floridum sequitur, incipiunt frigere extrema, vnguesque liuidi, curuíque fieri. Sub hoc casu, si sanguis è naribus vbertim fluit, aut fusus venter, multa biliosa, & spumosa reddit, expectari bona valetudo potest: sin minus, non potest. Quarto enim die, aut ad summum septimo, certa mors venit. Ferè autem quæ in lateris, eadem & in pulmonis inflammatione, & mitiora esse signa, & grauiora solent. Morbus tamen pulmonis plus periculi, quàm doloris habet: vtq; aliàs semper, sic tum potissimum lethalis est, cùm insaniam mouit. Idem si natus ex angina est, ferè intra diem septimum occidit, aut transit in tabem. Destillationes autem, & stetnutamenta tum antecessisse morbum hunc, tum secuta esse, periculosum est, multòque magis si subita inter hæc accesserit

Prognos.

cesserit deiectio. Erectum sedere ægrum cupere, atque decubitum omnem odisse, vt in acutis morbis malum: sic pessimum in inflammatione pulmonis & lateris est. At verò tutius esse malum iudicatur, quod expeditam per sputa non mala purgationem habet. Neque inter initia terreri oportet, si protinus sputũ ruffo quodam, & sanguine imbutum est, dummodo statim id excreetur. Quinetiam si sputo ipse leuatur dolor, quamuis id purulentum est: æger tamen facilè spirat, facilè excreat, morbum ipsum facilè sustinet, potest ei secunda valetudo contingere. In eodem morbo si abscessus ponè aures oritur, & ad suppurationem, maturitatemque peruenit, aut si idem inferioribus in locis corporis enascitur, & in fistulam abit, spes esse multa vitæ debet. Iam verò vbi sputum pro ratione non prodit, & febris dolorque manent, neque aluus bilem multam profudit, neque vrina multa cum multo sedimento micta est, & nullæ tamen exitij notæ sunt, scire licet morbũ suppurare. Ex quo casu homo seruatur, si (quod rarò fit) transsumpta in venas materia, per vrinas, aut per aluum exturbatur, aut si (quod sæpius incidit) disrupto abscessu, pus in pectoris cadit spacium, indeque totum quadraginta diebus expectoratur. Huiusmodi depurgatio nisi fit, alterutrum sequi necesse est: aut vt exulcerato pulmone tabes occupet, aut vt pure aceruatim in spiritus instrumenta ruente, protinus homo præfocetur: quod vbi incidit, sem-

per

per æger difficilius indies ſpirat, tractoque ſpiritu ſtertit, tandem autem obturatur à ſputo, & moritur. Quòd ſi abſceſſus ne multo quidē diſrumpi tempore poſſit, ſiue ſponte, ſiue ope medica: conſumitur profectò æger, vehementibus doloribus, nutritionis defectu, tuſſi, & febre debilitatus. Æquè verò etiam perit, ſi cùm ſic extenuatus aliquis eſt, abſceſſus in lectum reclinato erumpit. Iam verò ſi id quod ſuppurat, erumpit quàm citiſſimè, ex toto maturum, & plurima ſui parte ad ſeptum tranſuer ſum effunditur, protinus leuatus eſſe æger videtur. Atque hinc ſanè vbi totum tuſſi reijcitur, ipſeque in quo pus erat ventriculus reſiccatus ſaneſcit, bona valetudo redit. At ſi malum inueteraſcit, ipſe æger imbecillus non excreat: ſcire licet certo hunc ipſum periturum. Itaque tum etiã ſi vſtus vel ſectus fuit, pro tempore quidem moderatius habet: at nihilominus tamen interpoſito ſpacio extinguitur. Suppurationes à morbis pulmonum ortæ ferè ſenes tollunt, aliæ iuniores.

Eryſipelate etiam rapi pulmo ſolet. Tum febris oritur longè ardentiſſima, dolorque antè, & retrò acutus, maximè circa ſpinam, tametſi pectus non æquè graue & anguſtum eſt: ſpiritus erecta ceruice trahitur, & præ ardore æger veluti equus à curſu nares expandit, & linguam vt æſtuans canis exerit: vomitus fit modò ſubcruentus, modò liuidus, idemque aliàs bilem, & pituitam trahit: adeſt etiam frequens (quod fami-

Ερυσίπελας pulmonis.

familiarissimum huius morbi signum est) animi defectio: tussis vel sicca est, vel flauum sputum trahit non multo imbutum sanguine. Illud malum citissimè ac ferè semper hominem tollit. Euadere aliquis potest, si desertis interioribus, foras versum Erysipelas est.

Non omittendum autem id vicium pulmonis est, quod ex tenui, acri, multaq́ue destillatione è capite confectum in hunc ipsum illapsa oritur. Scilicet hinc multus ardor, & febris excitatur, quæ febris quia lenta est, paulatim hominem consumit. Ad hanc & tussis, & spiritus difficilis accedunt, sic vt nullum tamen vel vlcus pulmonis, vel sputum cruentum assit.

Crudũ pulmonis tuberculum.

Interdum etiam crudo tuberculo pulmo impeditur. Initio dolor exilis est, tussis sicca, cum magna inspiratione, subdifficiliq́ue spiritu, calores item oriuntur, doloresq́ue obscuri antè & retrò fiunt. Ferè autem eadem hîc quæ in Asthmate signa apparent, nisi quòd crudum tuberculum pulmonis sensim crescit, non prægressa destillationis alicuius nota, quodq́, sub hoc ipso difficilis respiratio sine vllo stertore, ac sibilo est. Si altius intra pulmonem id viciũ insedit, pulsum exhibet varium, inæqualem, intermittentem, vel etiam intercisum, qualis in Antipatro medico fuit. Tum certè non sine caussa (quia vicium læuibus arterijs inhærescẽs propius ad cor accessit) animi quædam defectio, & palpitatio cordis incidere consueuerũt. Itaque mortiferum esse id malum, vbi ita promouit,

mouit, solet. Expectari autem salus potest, si asperis insidet vicium arterijs, citoque maturescit, & erumpit, simul pure excreato vniuerso penitus resiccatus, quo id tenebatur, ventriculus sine vlcere manet. Quæ omnia, ni fiant interposito spacio, consumptus homo perit.

Occultum profectò vicium, & quod sæpè fiducia secundæ valetudinis fallit, vomica pulmonis est. Hanc abscessum dicimus exiguum, aliqua in pulmonis parte inhærescentem, atque arctè membranula clausum sua. Id malum tabidos maximè exercet, & eos, quibus patefacta, aut rupta in pulmonibus vena est. Spiritus autem, multo antè, quàm rumpitur vomica, malè olet: interdum cruor extussitur, semper graue corpus est, & tussis difficilis diu multumque tenet, quam nonnun quam ipsius etiam sequitur vomicæ expectoratio: quod vbi fit, febris corripit non leuis, sputumque sequitur cruentum, & ingens corporis perturbatio: quæ casum sequi etiam bona valetudo potest. Non raro, vomica vbi subitò disrupta, & in cordis arcem lapsa, celere inopinatumque exitium attulit. *Vomica pulmonis.*

Varij casus, variaq; pericula fieri à sanguinis sputo possunt, quod vicium Græcis αἱμοπτόησις appellatur, vtique si è pulmone aut pectore sanguis fertur. Itaque videre oportet, an ne is a liunde etiam ducatur. Ergo à capite hunc descendere credendum est, vbi titillatio in palato, frequensque screatus est, vbi tussiendi quidem *Sanguinis sputum.*

cupi-

cupiditas, ſine multa tamẽ tuſsi eſt, ipſo cruore ad guttur illapſo, iterumque ſurſum ſcreatu per os reiecto: ſi quidem is ſeſe in linguam protinus infert rotundus, ſubniger, ac ſatis multus, itemque lenis cum pure & pituita miſtus, cuius ſubinde pars per nares emungitur muco delibuta: magna autem ex parte capitis dolor, aut grauitas, deſtillantẽ inde cruorem antecedit, leuatio ſecuta eſt. Cęterùm, qui ex faucibus & gurgulione ſanguis fertur, is ſcreatu pellitur: qui ex ipſo ore, ſimplici ſputatione: qui ex ventriculo, vomitu: qui ex gutture, tuſsicula: qui ex thorace & pulmone valida tuſsi: vbi de ventriculi teritur ſubſtantia, non multus vomitur. Abundantior eſſe is ſolet, qui ex iocinore, aut liene deductus in ventriculum eſt, tumque ſpumare etiam, ſi horum aliquod viſcerum inflammatione obſidetur, conſueuit: eſtque is ceſus tum hîc, tum in quauis acuta febre lethalis. Iam ſi ſanguis ſpumans tenuis, ac floridus, ex interuallo per tuſſim ſine dolore educitur, hûc profectò è pulmone ferri ſciendum eſt. Quod ſi factum à diſrupta vena, præcipuè grandiori fuit, vbertim ſanguis quaſi vomitu quodã prorumpit, adeò, vt interdum pelues etiam impleſſe viſus ſit. Magna ſanè pericula hic caſus affert: vel enim nimia exanimare profuſione homines poteſt: vel, vbi intus cohibetur, etiam præfocare, nimiaque mole cor opprimens, inducta ſyncopa ſubitò occidere. Et vt quàm maximè hæc abſint, vitaque maneat, grauiſsima tamen

tamen vlcera (nisi maturè succurritur) & insanabilia in pulmone facit. Quanquam recens ruptio non posse sanescere videatur : compertum est tamen, fuisse seruatos non paucos, quibus adhibita curatio primo triduo fuit. Verùm vbi vetus malum est medicina omnis inanis est Minus cruentæ profusionis, minusque periculi ruptio paruæ venæ exhibet. Vbi ab erosione contractum vicium est, eius euidentes causſæ, atque notæ antè fuerunt: acris scilicet destillatio, febris, sputum purulentum, aut aquæ persimile, qua caro animantium, quę recenter sunt mactatæ, abluta est: his accedit, quòd ipsius etiam pulmonis putrefacta particula, subinde tussi redditur: ipse sanguis paulatim sputo miscetur, isque exiguus est pulmonis exesis carnibus: vberior erosa eius vena, quæ si, vt modò proposui, grandis est, abundantissimus sequi cruor solet. Eodem tempore quod expuitur, id praui & coloris, & odoris est. Magnam intus esse erosionem sic licet animaduertere. Superioribus temporibus sanguis particulatim modicis interuallis extusitur, sequentibus hinc diebus cumulatior venit, sic vt neque casus aliquis, neq; superfluus aut cursus, aut quid aliud externæ accesserit iniuriæ. Porrò cùm neque erosa, neque exesa pulmonis vena, sed recluſa (Græci id ἀναστόμωσιν vocant) sanguis fertur: is certè initio paucus reijcitur (quod difrupta vena non fit) idemque spissior est, ac magis rubeus, quàm qui à pulmonis vulnerata substan-

tia, aut exesa proficiscitur. Siquidem hic tenuis est, sufflauus, floridus, spumosus, atque ei qui arterijs inest simillimus. Ferè autem sic incidit, vt patefactam venam repletio corporis atque grauitas anteceſſerit, nullus comitetur dolor, agilitas effuso cruore sequatur. Etenim hæc vacuatio, sæpè fœminis, quæ compressis menstruis ægrotabant, leuamen, auxiliumque mali attulit, sine vllo vel vlceris, vel tabis metu. Sanguis quē pulmo fundit omnis spumam, vt proximè dixi, habet, & sicuti multa tussi, ita nullo dolore effertur. Qui ab aspera ducitur arteria, etsi interdum etiam spumat, dolore tamen non caret, idemque exiguus est, & parua tussi, maioreq; sereatu pellitur. Multa ac vehemens tussis est, si sanguis è locis trahitur pectoris profundioribus, vt in lateris & pulmonis inflammatione: minor autem, si à superis. Iam etiam qui à substantia pectoris sanguis venit, subniger est, crassus, & grumosus cum paucula spuma, isque non abundanter, at sensim vehementi sollicitatus tussi prodit: ipse locus qui afficitur dolorem habet, qui dolor per somnum etiã increscit. Min⁹ iste casus periculorũ, quã cruor à pulmone redditus, habet. Expeditior enim sanatio est, quæ si non fit, vlcus inde non æquè malignum nascitur: quod ipsum si in pulmone est, & tabem, & hecticam febrem, & marcorem, & mortem affert. Verùm nigricans atque grumosus sanguis tussi reiectus, non semper proficisci à thorace videtur. Potest enim is vbi

nuper

nuper è naribus in fauces, & hinc in pulmones lapsus est, formam hîc grumi adipisci. Qui sanguinem spuit, is si in latus infirmum decumbit, impensius id facere consueuit. Vbi vena intus sauciata est, probeque coaluit, sæpè iterum ijsdem caussis rumpitur, quibus rupta prius fuit: quod vbi incidit, protinus cruor prodit, isque affatim sæpè veluti vomitu quodam profusus hominem repentè strangulat: aut certè in pus crassum atque multum putrefactione versum, tandem tabe occidit. Rectè enim iudicauit Hippocrates, si sanguis in superiorem funditur ventriculum, debere hunc necessariò in pus verti. Nullus medicinæ locus est, si sputũ cruentum ab eroso esse pulmone cœpit: à venæ autem ruptione, si quidem inter principia occursum est, dum recens vulnus & inflammatione & pure caret, obseruatum est secundam sæpè valetudinem contigisse. Neque enim simplex venæ ruptio tabem excitare (modò reliquus pulmo sit integer) potest. Is enim propter dimanantem ex rupta vena in se sanguinem (vbi tabem facit) afficitur. Semper autem sanguinis sputum, si diu tenet, in tabem transit. Itaque rectè Hippocratem animaduertisse video, post sanguinis spacium, puris sputum sequi.

Proximum est pectoris suppurationẽ, quam Græci ἐμπύημα vocant, proponere. Ea has notas habet. Febricula assidua, languida, incerta, sicca, ac verè hectica tenet, eaque interdiu leuior est, noctu increscit: frequens tussis, validaque

Suppuratio.

eſt, qua nihil tamen excluditur: multus etiam ſudor toto corpore funditur, poſt quem interdum æger inhorreſcit: dolor item varia loca pectoris afficit: frequens ſpiritus, & vehementer impeditus eſt, ſic vt præceps ſermo, & multis partibus ſit interciſus. Itaque nares etiam inter ſpirandum arctantur, fitque per has ducti aëris ſibilus. Adhæc maxillæ rubent, manus pedesq; calent, & in his adunci vngues fiunt, ſummiq; digiti (vbi malum promouit) pallent. Semper autem cibi vrget faſtidium, quo aſſumpto grauius eſſe corpus incipit. Tuſſis, vt proximè dixi, ſicca eſt, niſi quod vbi ſuppuratio erupit, humida fiat, pusque fundat modò purum, modò fæculentum. Talis eſſe etiam ſolet, vbi pus ab vlcere pulmonis intus colligitur. Pulſus incipiente ſuppuratione inæqualis eſt, & ſine certo ordine, & per omnia hecticus. Confecto pure, fit paulò æqualior. Rupta ſuppuratione, latior, tardior, rarior, languidior. Vbi verò ſub hoc morbo ad extrema ventum eſt, totum corpus ſudoribus diffluit, in pedibus tumores fiunt, ijs ſimiles, quos facere hydrops ſolet: aut certè toto corpore puſtulæ oriuntur. Quæ ſuppuratio ab angina, vel à pulmonis inflammatione nata eſt, ferè vtrunque pectoris ſinum (qui mediaſtino diſtinguitur) occupat. Quam autem latus inflammatum fecit, ea illam ſolummodo quæ afficitur regionem prehendit. Sed quoniam de hiſce ſuppurationibus abundè dictum ſuo loco eſt, nunc eas ſequamur, quæ fieri etiã

alijs

alijs de cauſſis, poſſunt. Ergo ſi è capite pituita deſtillauit, & initia huic inualetudini præbuit: primum quidē, ea ferè latenter in pulmonem lata eſt, tenui cum tuſſi, & ſputo liquido, præterque morem ſalſiore: inter quæ leuis interdum iungitur calor. Interpoſito tempore exaſperatur pulmo, & ab inhærente ac putreſcente pituita exulceratur, ſimulque grauitas oritur in pectore, dolorque antè, & retrò, iamque magis corpus incaleſcit, totumque impotens fieri, & extenuari incipit. Spiritus etiam tum cum ſibilo quaſi per arundinem trahitur. Et quidē quò magis inueteraſcit morbus, eò pus ſincerius excreatur, magisque febris inualeſcit, & tuſſis, ſitisque vehementior eſt. Interdum ingens cibi auiditas, interdum vini meraci eſt. Nec rarò ſudoribus æger diffluit. Tandem autem pedes intumeſcunt, aluus infernè turbatur, ſputum retinetur, atque homo moritur. Qui ſic laborat, is ferè intra annum corruptus perit. Sub eo tamen caſu, expectanda bona valetudo eſt: ſi prius pituita, quàm ad pus ventum ſit, expuitur: aut ſi intra vigeſimum diem (vt ferè fit) intus maturata tum quoque ſputo eliditur. Niſi enim hæc iſta contingunt, vel tabes exulcerato pulmone ſequi ſolet, ſi acris eſt humor, vel certè Aſthma, ſi ignauus atque expers mordacitatis eſt. Porrò fit etiam non rarò, vt pituita de capite illapſa ad latus, membranis intercluſa, adglutinetur, atque ſuppuret. Quo caſu latus, vt plurimū, exardeſcit: ſpiritus multus eſt:

tus est: vox rauca fit, qua parte corporis morbus est, ea pectus paulum incuruatur: tandem pedes, genuaque intumescunt, interdum horrores incidunt, sæpè copiosi sudores: semper imbecillus homo est, & modò calidus esse, modò frigidus deprehenditur: vngues etiam contrahuntur, & aluus calescit: ortaque præfocatione, vel certè viribus exhaustis, mors incumbit, nisi rupto abscessu multò prius, quàm hæ notæ cernuntur, pus omne sputo vacuetur. Cæterùm si propter ruptam venam facta exulceratio pulmonis, atque puris collectio est, hæc signa comitantur. Sanguinis pars confestim spuitur, pars in pulmonem fusa computrescit, & in pus vertitur. Post sanguinis nanque sputum, vt superius retuli, puris sputum est. Interposito spacio, aliàs pus sincerum, aliàs cruore mistum aliquo per tussim fertur. Quòd si autem grandior, repletiorq; vena est, sanguis interdum magna copia effunditur, atq; hinc crassum pus excreatur. Huiusmodi casus iuniores citius prehendit, grauius afficit, & citius tollit, quàm seniores: tametsi vtrosque succumbere iuxtà necesse sit: vtique si vetus iam malum est, simulq; incipit affici caput, & corpus tabe consumi. Similis etiam suppuratio fieri à vulnere potest, quod aliqua parte in pectus illatum est. Sanguis enim in vacuum pectoris illapsus, nõ potest in pus non verti. Itaque idem incommodum non sine caussa etiam metuitur, vbi sanciato pectore foris tantum, non item interiore

parte

parte ſanatum vulnus eſt. Haud ſæpè venæ pul monis atque lateris, quibuſdam veluti varicibus occupãtur, tumq; primũ quaſi acutus quidam incidit tractus, ad quem tenuis dolor & tuſſis arida ſequuntur. Vbi iam diu vicium (vt fit) neglectum eſt, modicum ſanguinis, eiusque ſubnigri (ſi è pectore morbus eſt) expuitur: hinc idem maiore copia ſinceriſſimus venit, & poſt hunc, pus ipſum, vnde tolli hominem, vt in ſuperioribus caſibus mõſtratum eſt, interpoſito tempore contingit. Nunc in genere de ſuppuratis hæc addam. Si eo qui ſic laborat concuſſo, multus intus auditur ſtrepitus, ſcire licet, hunc ipſum minus habere puris, faciliusque ſpirare, & melioris coloris eſſe. Cui autem nullus fit ſtrepitus rupto iam prideni abſceſſu, verùm ingens ſpirandi difficultas eſt, & vngues liueſcunt: is pure ſcatet, ac breui perit. Quod latus pus habet, id & grauius, & calidius eſt: vbi in id quod ſanum eſt cubatur, maior tuſſis, maiorque anguſtia, & grauitas eſt: vbi autem in infirmum aliquis decubuit, tum hæc iſta, quæ propoſui, minuuntur, tum melior ſequitur ſomnus, magisque materia & matureſcit, & expuitur. Febres intermittentes ſuppurationem ſecutæ, cum multis eſſe ſudoribus conſueuerunt. Suppurare dolores iuxta præcordia, & pulmones, periculoſum eſt. Fereque ſequitur, vt cùm omnis longus tumor ad ſuppurationẽ ſpectet, tum is maximè, qui his locis inhæreſcit. Si quum vritur aut ſecatur aliquis propter

hunc

hunc morbum, pus vniuersum, semelque effluxit, certa mors sequitur. Quod si paulatim moderatis portionibus emissum, subcruentum est, vel liuidum, vel viride, vel nigrum, itemque cœnosum pariter ac fœtidũ: æquè certum perniciei indicium præbet, magisque, si vnà etiam syncope comitatur. Sperare salutem id iubet, quod sub viribus non infirmis purum, album, & æquale est. Sollicitato in pectore per multã tussim pure, si nihil tamen eius redditur homine iam tum imbecillo, mortiferum est. Per eundem morbum, si, cùm quis rectius habere videtur, sputum excreat graueolens, maximeque vbi carbonibus iniectum ignitis est, hunc mali recidiua occidit. A puris sputo tabes, & fusa aluus, mortifera sunt. Ferè autem qui reliqua parte anni traxerunt, eos Autumnus tollit.

Tabes. Phthisis

Proxima his vicijs tabes est, ea scilicet, quæ exulceratum sequitur pulmonem, & cruentis excreationibus succedit, Græci φθίσιν vocant: vbi ea incipit frequens tussis est, & sputum sine dolore cruentum, idemque pòst sordidum, ac mox verè purulentum redditur. Tum corpus extenuari incipit, assiduaque, atque hectica febre affici, quę sumptis epulis, & per noctem inualescit: per vehementes labores, aut tusses, vel iram sanguis nonnunquã inter puris sputa excreatur. Vbi crescit malum, perniciemque propinquam minatur, summum vrget cibi fastidium, crescit potionis desiderium, oculi concaui fiunt, & nares acutæ, & tempora collabuntur:

buntur: ſcapulæ foras veluti alæ prominent: ſumma pectoris grauitas eſt: pus iniectum carbonibus vel per ſe fœtet: curui, pallidiq́ue vngues fiunt: capilli excidunt: profluit aluus: pedes intumeſcunt: pars ſubinde aliqua putrefacti pulmonis exit: ſputũ penitus ſupprimitur, homoq́ue perit. Longum hoc malum eſt, & certam ægrotis perniciem affert, eiq́ue magis opportuna ea ætas eſt, quæ anno decimo octauo, & triceſimo quinto intercedit. Corpora autem citius afficiuntur gracilia preſſi pectoris, & colli longioris, magisq́ue ſi ſcapulæ maiores prominent, ſi intortæ tibiæ ſunt, ſi frequentes deſtillationes. Autumno id malum & naſcitur maximè, & occidit. Pueri facilius cæteris liberantur. Ex alijs minus conualeſcunt, & virgines, & hæ fœminæ, quibus principium morbi retenta menſtrua dedere. Ferè autem is homo, de quo ſub hoc morbo ſpes haberi aliqua poteſt, ſputum excreare debet album, per omnia æquale, tum ſubſtantia, tum colore, ſimileq́ue etiam eſſe id debet, quod à capite in nares deſtillat. Optatiſſimum eſt, febrem non eſſe: ſecundum eſt, tantulam hanc eſſe, vt neque cibum impediat, neque crebram ſitim faciat. Bonum itidem eſt, coactam indies deiectionem eſſe, atque ijs quæ aſſumpta ſunt mole reſpondere. Peſtifera contrà cita aluus eſt, itemq́ue vomitus frequens, ac præcipuè cruentus. Cùm in omnibus morbis incõmoda tumida præcordia, tum maximè horrenda in tabe ſunt. Signũ

quoque

quoque esse solet non bonum, si post lubricam aluum corpus prurigine afficitur. Iam etiam sputum mistum purulentũ, idemque fœtidum, quod halitus etiam contagione imprudẽtes alios labefactat, assiduaque febris, quæ opportuna cibo tempora eripit, & multam sitim mouet, in tenui corpore certum esse periculum ostendunt. Æquè pestiferum est pus aquæ, potissimum marinæ, non innatare, sed protinus ad imum sidere: aut id anteà expui solitum, nunc spui ex toto desisse. Tum enim errare mens incipit, ac primo ferè abhinc quatriduo mors occupat, peritque æger à cita aluo, ipso loquente, atque res omnes intelligente. Quare satis anceps fallaxque in hoc morbo, nouissimus vitæ articulus est. Idem malum magna ex parte à parentibus ad liberos transit: sic vt integras etiam familias veluti iure quodam hæreditario oppugnet. In his autem, alij prius cruentum expuũt, inde pus: alij humorem diu liquidum & sufflauum, ac tandem sanguinem cum pure excreãt: alij latenter etiam, sine sanguinis sputo, sine signis momentaneę destillationis prægressis consumuntur. Tabe verò, vel post sputum cruentum, vel sine eo tandem consumitur, quisquis infirmos natura pulmones, mollesque, & tenellos, & languidos, & viciatos habet.

Tussis. Aliqua etiam tussi debetur animaduersio. Ea si ex illapsu fit humoris ex capite in asperam arteriam, pulmonemque ruentis, sentitur in ipsis faucibus quædam quasi titillatio, & sæpè mole-

Si tussis a Scorbuto originē trahit, tunc Saliva salsū saporē obtinet.

Sicca tussis c. febricula, et qdem á cibo plꝰ ingravescente, et cum æger nihil exspuere possit, febrim arguit Hecticam.
Sic et tussis sicca in pgnantibꝰ, nūqm abortū infert.

Tussis Hydropicis supveniens malū eventū denunciat, secundum Hippocratem in Sect: 6. aph. 35. §. 7. a. 47.
Id: Sect: 6. aph. 46. Qui gibbosi fiunt ex asthmatel. Tussi, ante pubertatem moriunt.

molestus ardor: ipse fit subinde difficilis spiritus: &, si quidem tenuis humor est, nihil aut certè quàm minimum tussi eliditur. Solet etiã eadem sicca esse compresso septo transuerso, alijsúe partibus, quæ respirationi inseruiunt: sequiturque aliàs etiam affectum iocinoris, lienis, ventriculi, atque vteri: aliàs frigus externũ, aut tuberculum, aut ictum pectori illatum. Vt autem humor præter modum tenuis, sic & nimium tenax, atque crassus siccam tussim facit: estque id deterrimum tussis huius genus, quod virium sequitur infirmitatem. Permota enim intus materia, neque educta tamen, nihil mirũ hominem, sub imbecillis viribus labefactatum, mori. Quæcunque tussis modico fit conatu, celeriq;, ac facili materiæ eductione, cum multo leuamento, & sine dolore, siue oculorum rubedine, optima esse censetur: quæ contrà fit, pessima. Si cùm prius humida tussis fuit, nunc subitò sicca redditur, sic vt pectus graue maneat: scire licet febris vel putridæ, vel hecticæ, aut pulmoni exulcerationis periculum instare. Omnis tussis mala qua somnus aufertur. Inutilis etiam, quæ longo tempore frequens, grauisque hominem exercet, idque cum destillatione. Hinc enim sanguinis sputum, & tabes sequi consuêrunt. Ferè vbi viciosus pulmo, aut vetus intra pectus obstructio est, continua exercet tussis, nullis intermittens temporibus. Quæ verò à destillatione est, ea quibusdam interuallis, prout humor irruit, bis térue per annum

num molesta est. Si lentus intus humor est, vehementissima, eaque sicca fit tussis, qua nihil ferè reijcitur: spiritus difficulter trahitur, idque cum quodam stertore ac sibilo, qualis audiri in ipsa anhelatione solet, de qua nunc agendum est.

Difficilis spiratio.

Difficilis spiratio multa sequi pectoris vicia potest, quorum obseruatio superioribus locis proposita est. Nũc notas eius affectionis sequar, quæ propter humorem pituitosum pulmonibus infartum, spirationẽ difficilem facit, Græci, vbi leue id vicium est, δύσπνοιαν vocant: vbi vehementius est, & spirare æger sine sono ac sibilo non potest, ipsi ἄσθμα, nos Anhelationem dicimus. Quod malum si ita creuit, vt spiritum difficillimè, ac non nisi rectis trahi ceruicibus sinat, rectè ὀρθόπνοια dicitur. Ergo in Anhelatione pectus graue est, & crebra veloxque sine febre respiratio: quæ adeò molesta est, maximeq; inter laborem corporis, vt homo, ac si cursu agitatus esset ob angustiam pectoris propè suffocetur, eiusq; rei metu, toto subinde recto corpore, rectaque ceruice nitatur, ad trahendum spiritum. Quinetiam is ipse spiritus, quoniam angustis itineribus effertur, quendam veluti sibilum tenuem mouet. Prẽter hæc dolor aliquis in pectore, & in præcordijs versatur, interdum etiam in scapulis, isque modò intermittit, modò reuertitur. Quibus omnibus tussicula etiã interuenit. Id vicium longa vetustate pulmones primum concreta in grandinem pituita, ac

Anhelatio
L. Asthma.

dein

dein veris ſubinde calculis implet: quos tum ſecto corpore deprehenſos, tum à viuis per exercitationes valida tuſsi pręduros reiectos, hordei, aut piſi magnitudine eſſe, quorundam obſeruatione compertum eſt. Dyſpnœa ſine omni incommodo trahere diutius poteſt. Anhelatio verò, atq; Orthopnœa, etſi longa quoque ſunt, grauia tamen eſſe poſſunt, ſæpeque, vbi inuetterauerunt, ſubito ſtrangulatu hominem tollere. Eadem quibuſdam temporum interuallis graues acceſsiones habent, quæ magis cælo fieri humido ac frigido, maximeque inter multam crapulam ſolent. Quod ſi noua inter hæc quoque deſtillatio irruit, færè hominem præfocatione occidit. Ex quo ipſa quoque præfocans appellata eſt. Semper meliore vtuntur valetudine qui Anhelationē patiuntur, per quietem corporis, per ieiunium, & ſereno cælo. Anhelationi magis expoſiti ſunt hi, quibus frequens deſtillatio ac tuſsis eſt, præcipueq; ſi ſenes ſunt, & anguſtos pulmones habent. Pleriſque etiam alijs accidere hic morbus ſolet, maximè his qui vel natura, vel ocio, vel victus intemperantia redditi ſunt obeſiores. Anhelatio magna ex parte ſenes tollit: in alijs difficillimè ſaneſcit. Periculoſa tremula ſpiratio eſt, & pulſus inæqualis, inordinatus, intermittens, deficiens: & quidem quò grauius malū eſt, eò magis fit languidus, & magis tardus. Peſsima inter hæc ſyncope eſt. Ad extrema ventum eſſe teſtatur ſpiritus paruus, tardus, & frigidus: itemque pulſus ex

sus ex tardo factus nimis creber, & languidus, cętera ei, quem mox retuli, similis. Interdum obseruatum fuisse cōstat Anhelationem in pulmonis inflammationem transisse. Ex eodem morbo si factus aliquis gibbosus est ante puberem ætatem, perit.

Vulneratio pulmonis. Ictus pulmo his signis innotescit. Sanguis ex ore spumans, ex plaga rubeus fertur: spirandi cum sono quodā difficultas est: commodius in vulnus ipsum cubatur: etenim tum nonnulli loquuntur, qui, in cōtrariam conuersi partem, obmutescunt. Ex vulnere nisi quis primis temporibus extinctus est, febre atque marcore sensim consumitur, ac perit.

Vulneratio pectoris. Transfossō pectore, cum quis expirat, flatus è plaga exilit: vulneri si indita aloë est, eius percipit os amarorem.

Animi defectio. Nullum vicium terrere leuiter debet, quod cordi accidit. Tolerabilis videri potest, modo breuis sit, animi defectio, quā Græci λειποθυμίαν dicūt. Scilicet non omnes semel (vt in syncope fit) vires collabūtur: sed spirituum fit tantummodo resolutio, ipseque ferè, qui sic afficitur homo, præsentes audit, videt, agnoscitque.

Grauior cordis is morbus est, quo ipsum veluti concussum intremit, & palpitat, Græci *Palpitatio cordis.* παλμὸν τῆς καρδίας, nos Palpitationem appellamus. Arteriæ toto corpore vehemēter pulsant, nec rarò etiam dilatantur, maximeque hæ, quæ supra iugulum sunt. Idem morbus frequenter, ac præcipuè per quietem corporis intermittit: at su-

at ſuperfluis laboribus, meraciore vino, concubitu, balneis atque ira recrudeſcit. Palpitatio cordis ſi diutius trahit, periculum oſtendit repentinæ mortis. Æquè ea horrenda eſt, ſi crebrò incidit, idque poſt ſolutos morbos, cum multa nauſea, & bilis vomitu, qui vomitus neque nauſeam, neque palpitationem cordis finit. Quibus autem hic morbus poſt menſes aliquot, vel etiam poſt annum recurrit, eos ante ſenectutem omnes morte præueniri obſeruatum eſt: alios quidem febribus fractos acutis: alios præcipite ſyncopa raptos. Idem vicium ijs familiarius eſt, qui intra quadrageſimum annum & quinquageſimũ ſunt, & quos flatuoſa melãcholia fatigat, & quibus atra bile ipſe lienis tumet. Syncopen autem palpitatio cordis, & antecedere, & in eam verti ſolet. *Prognoſ.*

Syncope, quæ præceps eſt virium lapſus, pulſum abolet, aut certè ſummè rarum, & obſcurum, penitusque formicantem facit. In ea vultus, qualis hominis eſt emortui, fœdus ac pallens apparet, vis ſentiendi, mouendique deficit, tempora, ceruices, & pectus gelido ſudore madẽt, extremæq; corporis partes refrigeſcũt. Quæ ſyncope noxam ſequitur ſtomachi, multãq; nauſeã mouet tutior eſt, adeoq; ἡ στομαχικὴ appellatur. Quæ verò ſine cauſſis manifeſtis, ſine ſtomachi vicio, ſed & crebra cum palpitatione cordis accedit, graue periculum minatur, & ipſi cordi primitus inhæreſcit, Græci συγκοπὴν τὴν καρδιακὴν nominauerunt. Hæc, & ſe- *Syncope.* *Prognoſ.*

nibus,

nibus, & conualescentibus, & quacunque de caussa vehementer debilitatis, familiarior est: soletque mortem, si frequenter incidit, repentinam inferre. Quisquis enim sæpè, multumque sine euidente occasione animo deficiunt, hûc rectè Hippocrates scripsit subitò mori consuesse. In eo morbo præsentis nota exitij est, facies liuida, viridis, aut nigra: vel si naribus acre inditum medicamentum nullam mouet sternutationem: adhæc si spiratio, atque ipse arteriarum pulsus prorsus abolentur, simulque caput in humeros, vel in pectus delabitur. Vt cordis palpitatio, si syncopen infert mortifera est: sic multo magis syncope, si cordis secuta palpitationem est.

Vulneratio cordis. Vulnerato corde sanguis multus extra funditur, vtique si quæ maiores vel arteriæ, vel venæ in eo percussæ sunt: pulsus elanguescit, color fit pallidissimus, sudor frigidus ac fœtens oritur, extremisque multum frigidis protinus mors irruit. Si sola cordis icta substantia, non item interior sinus telo violatus fuit, vita modo diem, modò noctem durasse visa est. At si in sinum quoque cordis adactus mucro est, protinus refrigescentibus extremis, præceps mors incumbit.

Vulneratio septi transuersi. Vbi septum autem rransuersum vulnus accepit, sanguis spumans fertur, spiritus fit difficilis, & rarus, præcordia sursum contrahuntur, spina dolet, sputum æditur cruentum, accedit delirium, & interdum tussis, nouissimè febris, & ta-

& tabes (vt fit ſaucijs pulmonibus) hominem, (niſi is inter initia perijt) conſumit.

Obſeruationes in ventriculi vicijs, & inteſtinorum vtiles.

INfirmum ex calore ventriculum ſitis arguit aſſidua, qua frigida pocula expetuntur, itemque cibi faſtidium, æſtus, ructus nidoroſus, & noxius calidorum, vtilis frigidorum vſus. Si frigiditas ſubeſt, contraria his quæ ſunt comprehenſa, incidunt. Humiditatis autem notæ ſunt, nulla, vel pauca bibendi cupiditas, multa ſaliua, commodus ſiccorum vſus. Contrà res habet, vbi ſiccitas imbecillitatem fecit. Si viciatus intus humor verſatur nauſea vrget, & vomitus, & ructus, maximeque ſumptis epulis. Cùm flaua intus coijt bilis, ſupra ea quæ ineſſe calido ventriculo dixi, os etiam amareſcit, ipſe eijcitur vomitu amarus humor, ventriculus roditur, maximeque per inediam, vnde ſyncope etiam ſequi ſtomachica poteſt, potiſſimum ſi os ventriculi acuti admodum ſenſus eſt. Quod ſi pituita moleſtat, nunquam ea ventriculum, niſi cùm ſalſa eſſe cœpit, mordet, neque ſitim facit, ſed multum ſaliuæ ſine tuſſi ſcreatum exhibet. Tum quoque acidus fit ructus, & infirma concoctio, & inflatio, tenſioque ventriculi. Id profectò vicium, ſi multum increuit, magnas tenſiones, grauesque dolores, aliquot à cibo horis, ventriculo infert, &

Imbecillitas ventriculi.

sæpè maximis valetudinibus initia, vt hydropi, & voluulo præbet. Iam autem, vbi atra intus luxuriat bilis, crescit cibi cupiditas, sputum malè piscem olet: palpitatio esse in mesenterio sentitur, ex qua modò morbus Melancholiæ, modò comitialis nascitur: somnus item absurdus ac vanis imaginibus turbatur, summoque dolore surarum musculi cõtrahuntur: animus denique tristitia, atque metu concutitur.

Cupiditas itemq; fastidium ciborum.

Aliqua etiam animaduerti circa appetentiã, aut fastidia ciborum possunt. Optimum signũ est omnibus in morbis, bene sese ægros, ad alimenta quæ offeruntur, habere. At cibum auersari cœpisse per longos morbos, & post eos, malum est: itemque post cibi cupiditatem fastidio eius affici. Nullum leue malum timeri in longa appetentiæ amissione potest, maximè si contractum à frigore id vicium fuit. Æquè periculosum est, boulimo aliquem, aut canina vrgeri appetentia cœpisse. In hac ipsa desideriũ plurium epularum est, multumque voratur: quod quia onere ventriculum grauat, iterum vomitu extunditur: atque sic leuatus homo, vorare denuo noua cupiditate incipit, rursumque vt canis, quod assumptum est, vomit. Sæpè hoc vicium boulimum, & altum soporem, & læuitatem intestinorũ, & hydropen, & atrophiam, ipsamq; necem intulit. Cæterùm in boulimo, primùm ægri multa fame vrgentur, quæ tamen non omnino immoratur. Quin animus subinde ijs deficit, simulque concidit spiritus, extremaque

Caninã appetentia.

Boulimos.

maque refrigescunt. Tum profectò in propinquo syncope est, quam ipsa excipit mors. *Progno.*

De singultu etiam dici quædam possunt. Hic pueris familiarior est. In alijs quoque ætatibus interdum per acutos incidit morbos, & per febres ardentes, maximeque pestilētiales, ac tum ferè esse lethalis solet. Idem post citam aluum, sanguinisque profusionem, & post quamcunque aliam grauem inanitionem periculum ostendit. Itaque post vomitiones etiam, præcipueque sinceras singultum fuisse, graue est. Idem, si caussa inflammati oritur iocinoris, periculum habet. Sternutamentū autem singultui accessisse, vtile est. Ab illo enim hic ipse absoluitur. Delirium autem interuenisse, aut neruorum distentionem, mortiferum est. *Singultus.*

Instante vomitu, crebræ sputationes & nauseæ fiunt, stomachusque subuertitur, præcordia tenduntur, & inferius labrum tremit. Is vbi fit, minimè molestus est, ex pituita & bile mistus, modò nimius non sit. Syncerus autem deterior est, magisque, si simul vel singultus, vel distentio neruorum assunt. Prasinus item vomitus, & liuidus, & niger malus est. Nigro peior est is, qui omnes colores fundit non bonos. Subitam perniciem denunciat niger malè olens, qui frequens in febribus pestilentialibus esse solet. Vomitus sine febre tum esse non malus potest, cùm robur sequitur naturæ, quæ id humoris, vnde grauatur, expellit: qui profectò humor ex iocinore huc deriuari, vel ex lie- *Vomitus.*

ne, vel meſenterio, & inteſtinis, itemque è cerebro, totoue denique corpore poteſt. Verùm eo tempore nullum iocinori, aut lieni (vbi hinc humor fertur) tumorem eſſe præſtat. Quæ fœmina dum ieiuna eſt, bilioſa vomit per multos dies, ſi neque vterum fert, neque febricitat: ſcire licet hanc lumbricos rotundos ſimul vomere, aut certè hos vomituram eſſe. Vomitus, ſi rarus eſt, iuuat valetudinem: aſsiduus, ſtomachum viciat, & inducta imbecillitate, veluti lacunam proluuiei vniuerſi corporis facit. Sæpè profectò vomitus præcipuè æruginoſus, diſtentionem neruorum, & morbum comitialem, & profundum ſoporem, veluti quadam iudicatione finiunt. Vomitus ſpontaneus, ſi id in quo vicium eſt, reddit, confert & facilè fertur: ſin minus, contrà. Vomitioni ſingultum, aut neruorum acceſsiſſe diſtentionem, malum eſt: maximè ſi ſinceri humores reijciuntur.

Sanguis etiam vomitione extundi ſolet, quod nunquam fieri, niſi malè affecto homine, poteſt. Is ſanguis cibo, vel potioni, vel pituitæ miſtus fertur, eſtque craſſus, ac iam concretione nigreſcens. Huius ſubinde pars ex aluo etiam fertur, ita nigricans, vt pici ſimilis videatur. Sub eo caſu mirum non eſt à corrupto intus cruore crebram animi defectionem eſſe. Qui ab iocinore proficiſcitur ſanguis, ſplendidior eſt, ac magis purus. Quem autem lienis fundit, is turbidior, & ſubniger, & interdum acidus eſt. Cæterum qui à ventriculi ſubſtantia detri-

tus

tus sanguis euomitur nunquam ferè dolorem aliquem non exhibet. Fœmina si sanguinem vomit, fusis menstruis liberatur.

Non sæpè ventriculus inflammatione rapitur. Grauis & assiduus cum ardentissima febri incidit dolor, qui nullis fomentis mitescit locus ingentem, tactuq; circumscriptum tumorem, & interdum visu cõspicuum habet. Quicquid cibi vel potionis assumitur, id protinus vomitu, aut deiectione extunditur: nisi tamen summa vel ima ventriculi pars tumore obsidetur, quo itinera sic arctantur, clauduntur que, vt nihil elabatur. Accedit vehemens æstus, & sitis, & nausea: & quum grauius malum est, delirium, crebraque animi defectio. Quòd si præter hæc extremæ partes membrorum inalgescunt, exitium in propinquo esse significant. Vbi ex hoc morbo abscessus fit, is in vacuum abdominis, vel in ventriculi spacium internum erumpit, moxque ipsum pus vel ore, vel aluo effertur. Quod si intus factum vlcus aliquod est, prorsus id lethale est. Tum profectò lenta, assiduaque febre homo consumitur. ventriculus summè fit infirmus, & modò dolorem habet, modò eo caret: frequens vomitus, frequentior liquida deiectio est: pulsusque creber, ac frequens: totum denique corpus alimenti fructum non sentit, sed paulatim ad nouissimum vsque vitæ diem contabescit.

Inflammatio ventriculi.

Nunc de intestinorum vicijs loquar, quæ & acuta esse, & longa possunt. Omnium id penè

Χολέρα. atrociſſimum eſt, quod χολέρα Græci dicunt. Bilis ſuprà, infraque magno impetu prorumpit, primum liquidior, pallida, & ſufflaua: dein craſſior, maioremque colorẽ exhibens, flauum ſcilicet, praſſinum, cæruleũ, aut etiam nigrum: acuti in inteſtinum ſuperum dolores, & torſiones, & inflationes incidunt: ingens afficit bibendi cupiditas: pulſus celer, frequens, paruus atque conciſus eſt: ſæpè ſudores toto corpore mouentur: vbi grauius malum eſt, pulſus propè totus concidit, crura manusque contrahuntur, frigidæ ſudationes fiunt, anima deficit: &, quum ad extrema ventum eſt, ſyncope accedit: quibus concurrentibus omnibus, mirum non eſt ſubitò aliquem extingui. Is morbus frequentior æſtate, atque autumno eſt pueris familiaris. Senioribus, rarior & formidabilior eſt. Vehemens in eodem morbo ſitis, inutilis eſt, optimus accedens ſomnus. Pars ſanitatis eſt, ſuppreſſum vomitum eſſe. Sæpè etiam verſa in veſicam materia, ardor inde factus vrinæ fuit. Summo in periculo res vertitur, ſi ſyncope comitatur, aut ſi quod euomitur, malè olet, aut ſtercoraceum eſt. Quod autem non olet, id tutum eſt.

Aluꝰ profluuium. Quũ profluere aluus cœpit, fuſis ſcilicet ſincerioribus humoribus ſine inflammatione ſiue exulceratione, vel ſenſu doloris vehementi, id vicium Græci διάῤῥοιαν nominauerunt, ſub quo alius atque alius vacuatur humor, modò pituita, modò bilis vel flaua, vel atra. Huius origo

fluxionis

fluxionis varijs è ſedibus manat. Si è cerebro pituita fertur in ventrem: ea per noctem magis, & poſt ſomnum fluit, tenuis, authore Hippocrate, atque ſpumans. Interualla etiam fluxionis quædam fiunt, itemque deſtillatio, & capitis dolores anteceſſerunt: maximè ſi ſubitus calor atque frigus fuere. Idem humor ſi vicio funditur inteſtinorum, meſenterij, aut ventriculi, craſſus eſt, atque mucoſus, isque magis de die ſine certis interuallis prodit. Vbi flaua bilis, aut citrina, ardens, nec rarò etiam ſpumans è iocinore, aut etiam (quod ſæpè fit) è meſenterio in ventrem delabitur, id ſine magno ventris dolore, ſiue torminum opinione certis quibuſdam interuallis, & per noctem incidit: ſed breuior hic fluxus eo eſſe conſueuit, quem affectus ventriculus mouit. Idemque ferè ſequitur ſi è liene, vel ab ipſo fluere meſenterio atra bilis in aluum cœpit. Verùm hic caſus, quoniam peiorem humorem ſequitur, longè difficilior priore eſt. Sed diſcernere inter hunc conuenit humorem, & inter ſanguinem concretum longa immoratione, longoque ductu præaſſatum, nigricantem, ac liquidæ pici ſimillimum. Itaque ſi hic ipſe, non autem melancholicus humor eſt, cruentus vel adeſt, vel præceſſit vomitus, quo tincta lintea rubeſcunt. Nihil verò horum in deiectione bilis atræ ſubeſt. Vno die fluere aluum, ſæpè pro valetudine eſt, atque etiam pluribus diebus, modò intra ſeptimum conquieſcat, neque denuo turbetur, ac neque

febri hominem, neq; vehemente siti affligat. Verùm in spacio periculum vertitur. Interdum enim id tormina ac febres concitat, viresque consumit. Febrem autem accessisse, aut semel quiescentem deiectionem reuertisse, eandemque diutius trahere cœpisse, periculosum est: siue biliosa ea fuerit deiectio, siue cruda, ac pituitosa. Æquè verò noxium est, inflammationem ortam esse iocinoris, aut præcordiorum, aut ventris, itemque aluum variam, cum dolore diu profluxisse. Cæterùm ante tempus compressam deiectionem esse, tutum non est. Incipit enim affici stomachus, febresque oriuntur, & viscerum inflammationes. Quinetiam correpta sursum materia, dolores in caput incidunt, aut insania fit, aut lethargus: prout humor est, qui huc fertur. Quum liquida deiectio hominem exercet, vtile est neque stridere, eam, neque nimis frequentem esse, sed paulatim ferri. Crebro enim desessu homo delassatur, & vigil manet. Iam si copiosa simul frequensque deiectio est, periculum ab animi defectione est. Cùm alui profluuium in vetustatem incidit, tum, si vltrò vomitus accedit, idipsum conquiescit. Alui fluxio sine vlla noxa est, si maturè desinit: quod quidem fit, vbi contracto iam ventre nullus amplius à superiniecta manu motus eius percipitur, simulque nouissimam aluum flatus secutus est. Profluente aluo mutari excrementa, sed non in deterius, prodest. Biliosæ deiectiones accedente surditate cessant:

ceſſant: & contrà ſurditas, ijſdem deiectionibus finitur. Longum alui profluuium balbis frequentius eſt, & vomitionis interuentu conquieſcit. Ructus quouis in fluxu ventris acidus qui quidem ab initio non fuit, ſed poſt acceſſit, prodeſt. Vbi pluribus diebus non deſcendit aluus, docet aut ſubitam deiectionem, aut febriculam inſtare. Malum eſt fuſa aluo cibi cupiditatem amitti, aut ſingultum fieri. Quibus propter morbum vel acutum, vel longum, aut propter vulnera, aliaúe occaſione extenuatis, atra bilis ceu niger quidã ſanguis aluo profluit, hi poſtero die tolluntur. Excrementa ſiquidem ventris more atri ſanguinis nigra, quæ & cum febre, & ſine hac vltrò deijciuntur peſſima ſunt: eoque ſemper peiora, quo eorum colores plures repreſentantur non boni. Eadem vt medicamentũ eduxerit præſtat, idque quanto plures fuerint horum colores. Aluus vltam bilem fundens per morborum principia, mortifera eſt. Parque periculum oſtenditur, ſi profluente ventre, nauſea, vomitus, & delirium occupant: itemque ſi ſic infirmus homo eſt, vt pulſus ipſi ſit aſſiduè vermicularis, & formicans, qui ne ſumptis quidẽ epulis inualeſcat. Quum ſubitò fluere aluus incipit, poſt longum morbum, aut ſi is etiamnum manens nihil inde miteſcit, ægerque hunc malè ſuſtinet, in certo periculo rem eſſe ſciendum eſt. Æquè horrendũ cenſetur, citam aluum hydropi initia præbuiſſe, aut poſt vlcus acceſſiſſe, melancholicum:

item-

ítemque propter ſuperiorum exulcerationem inteſtinorum ac præcipuè ieiuni incidiſſe: aut perſeuerante profluuio puſtulas, quæ antè fuerunt, ſubitò delituiſſe: aut denique in ſene fluorem inueteraſſe, aut hominem primo veluti aquam aluo excreuiſſe, deinde humorem more vnguenti pinguem. Hoc ipſum excrementum, quod quaſi adipe aut oleo perfuſum videtur, peſtilentibus febribus, atque ardentibus, corpus colliquantibus, & hecticis, & tabi, & atrophiæ, & interdum viſcerum inflammationibus familiare eſt. Perſępè tum à ſincero alui profluuio, tum à longo, nata fuiſſe tormina obſeruatum eſt. Qui caſus prægnanti fœminæ exitioſus eſſe ſolet, & vt ipſa quàm maximè conualuerit, partum tamen corrumpit, ac perit. Ferè autem fit vt quem longa exercent alui profluuia, his pedes intumeſcant.

Non leuiter ea quoq; terrere alui fluxio debet, qua non ſinceriores humores, vt in diarrhea: ſed epulæ, potionesque ſine dolore crudæ, inæquales, aquoſiſſimæ ſic citò deijciuntur, vt nihil ferè de forma amiſerint ſua, citra ſanguinis aliquem aut bilis complexum, Græci λειοντερίαν, nos læuitatem inteſtinorum appellamus. In hac ægri fructum alimenti non ſentiũt, & in malum incidunt corporis habitum: ardor totus hypochondrijs ineſt, & ingens vrget cibi faſtidium. Hic morbus ægros interdum trahit, interdum præcipitat. Facilius à teneris depellitur ætatibus, vtique ſi moueri abundantius vri-

Lenitas in teſtinorũ.

na, &

na, & ali cibo corpus incipit. Difficilimus prouectioribus hominibus est, maximè si longis torminibus intestinorum successit. Sub eodem vicio periculum maius fit, si ita frequens deiectio est, vt venter omnibus horis noctu & interdiu fluens, somni tempora corrumpit. Adhæc si cruda prorsus ea est, aut nigra, vel more bubuli stercoris leuis & fœtida: si cibi amittitur cupiditas, crescit bibendi desiderium: si pro modo sumptæ potionis æger non meit: si os ipsi exulceratur, rubetque facies, & quasi maculis quibusdam colorum omnium distinguitur: si venter emollitus, sordidus, & rugosus redditur. Sub his signis certa mortis aduentatio est, si id vicium iam diu corpus senile traxit. Per longam intestinorum læuitatem acidum fieri tuctum, qui antè non fuit, pro valetudine haberur. Pars speratæ sanitatis est vrinæ modum poculis respondere cœpisse, corpusque nutriri, ac sine febre, sine prauis coloribus esse. Vt in omni penè ventris fluxione, ita in hac quoque tum mali esse finis creditur, cùm nullum amplius intus fit murmur, & extremam deiectionem aliquis secutus flatus est. Quicunque autem diu hoc vicio exercitus, animalcula quædam aluo reddit, multis torsionibus atque doloribus, is finitis, his intumescit. Ex eodem morbo si lateris oritur dolor, & spirandi difficultas, metus est secuturam tabem esse. Sæpè etiam hic morbus corrupto cælo in populum grassa-

graſſatur, nec rarò longa inualetudine confectos tollit. Interdú etiam pulmonis vomicam, vel abdominis abſceſſum, vel pectoris aut renú ſuppurationem certo ægrotantis periculo ſecutus eſt.

Dysenteria. Quæ cruenta alui deiectio, cum vlcere inteſtinorum, cum dolore & torſione eſt: hanc Græci δυσεντερίαν, nos Torminum appellatione comprehendimus. Incipiente morbo primum biliosa eſt aluus, aut certè mucoſam fundit inteſtinorum pituitam: inde ſubpinguis fit, modico cruore perfuſa: poſt hæc ſtrigmenta interioresúe tunicę inteſtinorum prodeunt excrementis cruentis ac purulentis miſtæ: nouiſſimè, ipſa deteritur, proditque cum purulenta inteſtinorum proluuie caro quæ veram eorum complet ſubſtantiam. Inter hæc autem omnia, cruor paulatim, & breuibus interuallis per aluum manat, isque modò cum ſtercore aliquo ſemper (niſi inferius vicium eſt) liquido, modò cum quibusdam, quæ proximè dixi, muccoſis, & purulentis, & carnoſis corpuſculis excernitur: multus in ano dolor, multaque ac frequens deſidendi cupiditas eſt: cum vtroque hoc exiguum quid exit, protinus q; tormentũ intenditur, ac rurſus poſt paulum leuatur: ipſe æger quiete caret, & à ſomno interpellatur, deiectionibus & interdum febricula impeditus. Si tenuibus inteſtinis vera deteritur tunica, deſperata vtique ægri valetudo eſt: verùm ſi craſſa tantum ſic afficiuntur, ſupereſſe ſpes vitæ poteſt. Sed certis quo-

Tormina.

quoque vti notis licet, ad loca, quibus morbus inhæresçit, cognoscenda. Etenim si tenuia intestina afficiuntur, dolor altius circum vmbilicum versatur: inter hunc plus interualli, & inter deiectionem ponitur: sanguis & quicquid intestinis deraditur, exactius alui excrementis miscetur: vehementius & crebrius delirium incidit: sitis vrget, & febris: ipsum autem stercus crudum profluit, malè olens, loturæ carnium simile biliosum, porraceum, varium, non sine multa ventris torsione, ac multa virium infirmitate, quæ animi quoque defectionem minetur. Atque cùm quidem in ieiuno intestino vicium est, cruda magis apparet deiectio, cum sanguine nigriore excrementis vndique misto, & cùm bile abundè flaua. Plus etiam hic sititur, & nauseatur: sed & cibi magis afficit fastidium, & interdum vomitus oritur: dolor autem superior vmbilico est, isque malignam febrem mouet: ipse æger viuido colore caret, & ad animi vsque defectionem exudat: quibus concurrentibus facilè is ipse robore destituitur virium, ac perit. Cæterùm vbi crassa intestina morbum sustinet (qui casus tutior facilioréque superiore est) stercus sincerum, multum, densum, cruentis respersum guttis, & cùm flatu prodit nonnunquam etiam spumosum: semper autem quædam huic pinguia miscentur, ipseque sic iungitur cruor vt his particulatim supernatet, non autem totus totis veluti immersus temperetur, idemque vt primum quis

Diagnos.

doluit,

Prognos.

doluit, protinus sequitur, prima propè aluo redditus. Quæuis autem tormina longa & difficilia esse consueuerunt: sub quibus, si firmus etiamnum homo est, recteque curatur, reddi pristinæ valetudini potest: si verò inualidus aliquis est, ac vehementer morbo extenuatur, ipsumque intestinum profundo vetereque vlcere labefactatur, scire licet medicinã omnem inanem esse. Vbi hæc res incidit, deiectio grauissimè olet, eaque cruda, leuisque est, & subnigri coloris: sæpè etiam inter hæc plurimus sanguis effunditur. Tormina si ab atra bile esse cœperunt, mortifera sunt, itemque si sub his quædam quasi carunculæ deijciũtur: aut si post longum morbum homine iam infirmo subito orta sunt. Æquè malum est, molestam ægro suppressionem deiectionis esse, à solutione non nisi paucissimo tempore malum leuari, idque ipsum diutius incipere trahere. Non tuta quoque tormina sunt, quæ cum febre adoriuntur, & cum vehementi dolore, variaque vel etiam crebra alui deiectione, tum etiam cum iocinoris, præcordiorum, aut ventris ardore, quæque cibos intercipiunt, & multam sitim, & cibi fastidium inferunt. Par periculum est, si venter assiduè, & quiescentibus, & vigilibus profluit, similiterque noctu, & interdiu: si cibi amittitur cupiditas, crescit bibendi desiderium: si pro modo sumptæ potionis æger non meit: si extenuato iam corpore repentè nigra aluus fluxit: aut si morbum hunc iam veterem læuitas intestino-

Si in progressu morbi Singultus superveniat. Si pustula nigra, similis orobo post aurem sinistram, cum siti magna appareat: qa mortem in vigesimo futuram significat. Jonst.

ſtinorum, aut hydrops excepit. Ferè vbi deiectiones alienis temporibus ſupprimuntur, abſceſſum iuxta coſtas, aut in viſceribus, aut in articulis facit. Tormina modò non nimis diu trahant, vtilia lienoſis ſunt: vbi inueteraſcunt, nocent. Quum ſanguis per tormina intus retentus concreuit, venter flatibus impletur, extremáque corporis repentè inalgeſcunt, vis ægri, ſimulque pulſus collabuntur.

Proximus torminibus teneſmus eſt, Græci τενεσμὸν appellant, qui illa ſæpiſſimè & antecedere & ſequi ſolet. Frequens æquè atque in torminibus deſidendi cupiditas, dolorque in ano eſt, inter quæ muccoſum quid pituitæque plenum, & modicè cruentum exit: hinc, vbi vlcus directi inteſtini increuit, purulentum quoque æditur. Huiuſmodi deiectioni nonnunquam id interponitur excrementum, quod ex cibo probè coactum figuratumque eſt. Hic morbus, vbi prægnantibus accidit, elidere etiam partũ poteſt. Idem tamen non difficillimè tollitur neque vnquam per ſe occidit, præcipuè ſi ſine febre homo cibum non faſtidit: verùm in autumnum vbi incidit, contagioſus eſſe magna ex parte ſolet, vtique ſi tum quoque in tormina vertitur: qui caſus, vt cæteris hominibus non tutus, ſic pueris maximè lethalis eſt. Teneſmus interdum vbi vetus fit, in voluulum, aut in colli dolorem (ſiquidem pituita ſubeſt) tranſit. Si bilis in cauſſa eſt, potius torminibus excipitur. Sæpè ex neglecto teneſmo vlcus relinqui ſolet ſordi-

Teneſmus.

Prognoſ.

sordidum ac purulentum, idq; in fistulam verti: quæ ægerrimè remedijs tollatur.

Passio Iliaca 5.

Morbus intestini tenuioris, quem Græci εἰλεὸν, nos voluulum dicimus, sic noscitur. Dolor acutissimus, modò suprà vmbilici regionẽ, modò infrà versatur. Fitque ex alterutro loco inflammatio. Tumor autem quidam sic prominet, vt ægrotans intestinum conuolutum ad chordæ similitudinem videatur: ventris itinera, quibus excrementa feruntur, sic impedita præclusaque sunt, vt neque iniectus clyster ascendat, neque cibus ore sumptus descendat, ipsaque aluus ne flatũ quidem emittere vllum possit. Itaq; sursum protrusis omnibus creber vomitus cietur tum bilis, tum pituitæ, hunc multa antecedit nausea, & ructus inanis, & ventriculi humiditas. Spiritus etiam fit difficilis: &, quicquid cibi, vel potionis assumitur, tametsi id intrò descẽdit, paulò tamen post, quia transire inferius non potest, iterum vomitu redditur impurum, ac malè olens. Id ferè tum solum sine alui saburra per os fertur, cùm superior gracilis intestini pars laborat. Ipsum autem quoque sequitur stercus, si paulo inferior morbus est. Idem incommodum sub vtroque casu tum etiam accidit, cùm ad extrema ventum est, subindeque lumbrici euomuntur, vrina difficulter redditur, maximè assiduus vomitus est, ipsa aluus ita clauditur, vt ne acus quidem admittat acumen. Nouissimè os, quique ructu effertur vapor, sed & totum corpus mali odoris est,

Volvulus.

est, accedítque singultus, & delirium, itemque neruorum distentio, & gelidus sudor, & extremorum frigus, & tremor cordis, & syncope, omnia certissimæ mortis nuncia. Hoc genus vicij omnium quæ intestinis insidiantur acutissimum est: & nisi resoluitur intra septimũ diem, occidit. Idem pueris familiarius, senibus rarius ac penitus exitiale est. Frequens sub eo vomitus, & surditas mala sunt. Sperare salutem licet, si purgans medicamentum ore sumptum, aluum perrumpẽs deiectionis initium præbet: vtique si reliqua quoque salutis concurrunt signa verisimilia. Minus etiam periculi esse solet, vbi dolor locum mutat, quàm vbi fixus is vna in sede inhæresćit. *Prognos.*

Non admodum huic dissimile doloris tormentum in laxiore eo intestino est, quod Græci κωλὼν appellant. Grauissimus cruciatus multaque inflatio incidit per totum abdomen in profundo, idque dextra magis parte, vbi affectum intestinum est: ipsum enim hinc incipit, & ad sinisteriorem partem iliorum in modum zonæ procurrit. Itaque iuxta renes etiam hic coli dolor, & circa dorsum versatur, itemque supra infraque vmbilicum, magnam occupans ventris partem, modò dextrã, modò sinistram, vagus omnino, & instabilis: vtique si à flatibus esse morbus cœpit, qui flatus sæpè intus quodã veluti rugitu obmurmurant, arcteq; concluſi, neque ore, neque aluo erumpunt. Non rarò coli dolor vno in loco stabilis altè excruciat, *Coli dolor.*

cumque neque flatus, neq; ructus lenit, ipsum
intestinum immanissimi doloris tormento affli
gitur, vt terebello etiam pertundi videatur, ac
penè spiritum elidere. Inter hæc autem vomi-
tus crebrò mouetur, quo pituitosa, varia, por-
racea, & æruginosa vacuantur. Verùm hoc do-
loris genus tum potius incidere cõsueuit, cùm
pituita subest crassa, lenta, ac maximè vitrea:
vtrisque generibus commune est, cibi cupidi-
tatem magisq; dulcioris ac pinguis amitti: ven-
triculum assiduè, ac si pungeretur, dolere: mul-
tam sitim, multumque aquæ bibendæ deside-
rium esse, quod ipsum tamen potationibus nõ
quiescit: ructum item fieri, & interdum hunc
iamiam eructurum, protinus cohiberi: aluum
etiam adeò impeditam esse, vt nihil infrà, ac ne
flatum quidem emittere aliquem possit: tum si
quid vel sponte, vel arte redditur, id siccum es-
se, aliàs more ouilli stercoris in globulos intor-
tum, aliàs vt bubulum, leue, flatibus plenum,
atque aquæ supernatans: vrinam denique ni-
mij doloris occasione bilescere, & interdũ con
sentientibus huic malo renibus retineri: vbi ad
extrema ventum est, frigidos sudores fieri, cre-
brumque singultum, & delirium, & neruorum
distẽtionem, & extremorum refrigerationem,
& syncopen incidere. Vbi salus futura est, ex-
crementa non nimium retineri, dolorem mu-
tari, atque etiam intermittere, ipsum ægrum
post redditum stercus, aut post emissos flatus,
leuari, & in quiete esse, semperque facilè du-
rante

rante morbo ſpirare. Sæpè coli dolor in reſolutionem neruorum, vel in morbum tum articularem, tum comitialem, vel in hydropẽ tranſijt: interdum etiam in voluulum abit, idq; intra ſeptimum diem. Sed operæprecium videatur inter hunc ipſum morbũ, & coli dolorem, notis quibuſdam diſcernere. Omnia inteſtini gracilioris morbus atrociora, quàm coli habet. Vtrinque aluus comprimitur, acutiſſimi dolores, & frequentes vomitiones fiunt. At vbi tenue inteſtinum morbum ſuſtinet, quoniam id magis ſentit, ſæuiorem quoque doloris ſenſum exhibet, & celerius occidit, eiusque rei cauſſa hic ipſe morbus acutus eſt, prior eſſe longus poteſt. Adhæc ſub voluulo dolor magis tum dextrà, tum ſiniſtrà vagatur, magis ab vmbilicò ſuperiùs tendit, magisque curatur per os ſumptis medicamentis, quàm aluo iniectis. Magis etiam ſubuertitur ſtomachus, & crebriores vomitiones fiunt, promptiusque delirium eſt, & frigidi ſudores, & ſyncope, quàm vbi in colo vicium eſt. Iam verò multis etiam ſignis & coli, & renum inter ſeſe conſentiunt, diſſentiuntque dolores: adeò, vt, niſi arenula vel calculus exturbatur, ſæpè renum cruciatus ſpecie colicorum, medicos etiam gnaros artis fallant. Ergo his differentijs vti licet. Nauſea, & vomitus, & cibi faſtidium magis vrgent laborante colo, dolorque ferè ab dextra parte infernè incipit, & ſurſum ad ſiniſtram aſcendit. Idem ſæpè veluti circuire in omnem ventrem videtur, & plu

rima loca occupare, modò hîc, modò alibi violentior. Dolor autem renum eodem ſtabilis loco eſt, niſi quod interdum ad coxendicem, vel ad teſticulum, qui è directo eſt, peruenit, ferèque alterutrum latus iuxta renem occupat.

Idem, & ſi perinde vt coli dolor, non æquè tamen efficaciter ducta clyſteribus aluo, & emiſſis flatibus, remittitur: vrina denique primum tenuis, pauca, & aquoſa eſt, & interdum hæc tota ſupprimitur: interpoſito tempore vberior fertur, & craſſa, & arenoſa, & bullans. Itaque hæc etiam vrina ſignificare genus morbi poteſt quale ſit, quoniam dolor interdum etiam colicus, ex vitrea potiſſimum natus pituita, vno eſſe ſtabilis loco poſſit, vt autem emictis arenulis renum dolor conquieſcit, ita coli quoque ceſſat tormentum, frigido humore per aluum excluſo. Illud etiam addendum videatur: Multis frequẽtem renum dolorem eſſe, coli non item. Præter hoc ipſum, quod propoſuimus, colici doloris genus, quod verè proprium eſt, & crudæ cauſſas pituitæ, aut flatum ſequitur: aliud nonnunquam poſſe reperiri, fatemur, cuius acris materia, ipſaque effectrix ſit bilis. Tum febricula oritur, & vehementior ſitis, & æſtus, & vigilia. Ipſe dolor non in variam regionem ventris diuagatur, ſed vnicam ferè occupat duntaxat, idemque ſemper deiectione intẽditur: vrina admodum bilioſa, atque acris eſt: noxius etiam eſt calidarum tum epularum, tum potionum vſus. Magis ſtabilis vno in loco dolor eſſe

coli

coli solet, vbi id intestinum inflammatione cingitur, estque hoc genus morbi atrocissimum, soletque non rarò in voluulum transire. Valida febris multo æstu, ardoreque afficit, intus iuxta morbum pulsatio est, oriturque sitis, nausea, ac vomitus, præcipuè biliosus, ex quo tamē nihil dolores leuantur. Aluus nihil reddit, & ipsa interdum retinetur vrina. *Coli inflāmatio.*

Obseruatum à doctis hominibus video, grauissimis etiam doloribus vrgeri peritoneū consuesse, vel certè has membranas, quæ abdominis ventrisq; partibus obtendūtur. Hi dolores etsi nullo iure ad coli tormentum pertinent, quoniam tamen æquè graues sunt, ac penè similes, neque etiam spacijs locorum multum dissidēt, eos hîc quoque ponere rectè posse videor. *Peritonæi dolores.*

Sunt autem hi, vt grauissimi, sic admodum diuturni, neque vllis remedijs, quæ coli debentur doloribus, mitescunt, siue datum medicamentum fuit, siue adhibitum fomentum, siue subtus iniectus clyster. Ferè autem longas febres, & ea genera excipiunt morborum biliosorum, qui non facilè soluuntur. Sæpeque veluti quadam iudicatione visi sunt continuas febres, & tertianas, & quartanas hi dolores finiuisse: idque ita tamen, vt longo pòst tempore, qua die febris esse accessio solet, eadem hi quoque increscerent.

Lumbricorū, quos Græci cōmuniter ἕλμινθας appellant, non vna omnium forma est. Alij longi & teretes sunt. Alij breuiores & ad speciem *Lumbrici.*

Diagnos.

seminis cucurbitæ lati. Alij exigui sunt, tenues, simulque teretes, ἀσκαρίδας græcè dicunt. Communes hæ notæ sunt duorum priorū. Per somnum dentes stridentes multaq; saliua ex ore defluit, quam homo sæpius tum quoque deuorare quasi mandens aliquid videtur: vigilanti sæpè pruriunt nares: & multa infesta sitis est, quæ poculis non sedatur: interdum venter distenditur cum murmure, atque multa torsione, idemque non rarò, ac si hydrope affectus homo esset, inflatur: accediteque subinde leuitas intestinorum, oculorum suffusio, pallor faciei, sudorque frigidus ac malè olens. Nonnunquā ipsa etiam incipit affici mens: verùm æger tum festucas non legit, vt in acutis accidit febribus, neque grauem dolorem capitis sentit. Ipsi subinde lumbrici modò per os, modò per aluum, & interdum naribus etiam reddūtur, ijdemque noctu esse molestiores, quàm de die solēt. Per inediam autē maximè sursum repunt, tumque intestina, & præcordia, & stomachum mordicationibus sollicitant, simulque animi subinde inferunt defectionem, vel præfocationem, vel tremorem, vel morbum comitialem, vel ipsam denique syncopen: quibus malis sæpè pueri oppressi, extinctique fuerunt. Præter hæc quæ proximè dixi vicia, etiam & coli dolorem, & caninam appetentiam, & boulimon, & cordis palpitationem à lumbricis fieri animaduersum est. Ferè autem longis proprium est, vt in gracilibus intestinis gignantur, vtque hæc morsi-

bus

bus per inediã impetant, & interdum in ipſum procurrant ventriculum, tumque dolorem mo ueant, & nauſeam, & vomitum, & ſingultum, ſiccamque tuſſim, & tenuem breuibusque moleſtam interuallis. Iidem cùm fortè ad ſtomachum perueniunt, difficilem deglutitionẽ reddunt. Inter hæc autem alij per ſomnum ædito clamore expergiſcuntur, & exiliunt è cubili, iterumque protinus ſopiuntur. Alij inter dormiendum linguam exerunt, aut dentibus ſtridunt, aut aliena loquuntur, ſimulque vario decubitu corpus iactant. Pueri etiam ſic formant os, vt quaſi eo tenere mammæ papillam, ac deuorare aliquid videantur. Multis oculi ſanguineo rubore imbuuntur, itemque malæ: verùm is rubor pòſt paulo perit liuore nouo victus. Pulſus inæqualis eſt, obſcurus, deficiens, & recurrens. Nonnullis venter corruptum cibum deijcit, & flatibus intumeſcit, reliquum corpus ſine probabili cauſſa extenuatur. Si febris incidit, ea ſine ordine, ac certa lege increſcit, ac ter, quaterque die vel nocte temerè recurrit, non ſine ingenti extremorum frigore. Minus in longis lumbricis periculi, quàm in latis eſt, ſolentque his etiam illi eſſe frequentiores: præcipuè verò pueros ab ipſa exercent infantia, ad puberem vſque ætatem. Lati autem lumbrici, qui vel in cæco inteſtino, vel in coli cellulis naſcuntur: vt multa quoque habent, quæ eſſe familiaria longis dixi: ſic ſoli aſſiduis morſibus hominem fatigant, & ingentem, inſatiabilemque ci-

bi cupiditatem inferunt: vt primum enim assumptum alimentum est, id ipsi cõtinenter depascunt, quo iam consumpto, mordere intestina protinus incipiunt. Sæpè hi intus magna mirabiliq́ue inter se serie cohærent. Corpus autem quod occupant, macrum, imbecillum, atque inæquale reddunt. Porrò vbi tenues lumbrici, quos Ascarides nominari dixi, intus versantur in ano scilicet, ac recto intestino, multus in his locis pruritus est, ex quibus interdú emergunt, & in fœmora, natesq́; quoquouersus prorepunt: sæpius in deiecto stercore cernuntur, id quod adultis etiam hominibus non infrequens est. Inter hæc assidua oritur desidendi cupiditas, homoque post redditam aluú rectius habet. Communiter autem omnis generis lumbrici pueros sæpius exercent, vtique si multa cruditate onerantur, viciosisque cibis longo ante tempore, vt caseo, fructibusque fugacibus vsi fuere.

Hemorrhoides.

Nunc de eo ani vicio loquar, quo venæ quæ in eum explicántur, sanguinem sine modo fundunt, Græci αἱμορροΐδα nominauerunt. Tametsi æquè etiam præter naturam sit, sanguinem in hæc loca delatum, pro consuetudine inde vacuari non posse. Itaque cæcam hanc esse hæmorrhoidem dixerunt, quæ intuentibus patet, ac vehementem in ano dolorem, maximè vbi durum alũi excrementum exprimitur, mouet. Is dolor interdum adeò grauis est, vt ani inde sequatur inflammatio: vbi vero aperta hæmor-

rhois

rhois est, sanguinem semper in conatu, maximeque post extremam aluum, interdum etiam vltrò fundit. Is sanguis seorsim primum melancholicus, dein purus ac rutilus exit, interdum, quia in vacuo recti intestini cõcreuit, formam grumi rubentis habet. Itaque ab eo quoque differt, quem vel mesenterium, vel iecur, vel loci superiores fudêre. A mesenterio enim non multus fertur, ab iocinore infirmo verus sanguis non defluit, sed dilutus atque aquæ, qua carnem quis lauerit animantis nuperrimè mactatæ, similis. A ruptis aut patefactis superiorum locorum venis sanguis manat picis specie retorridus, ac niger. Externa hæmorrhois exàno conspicua vtcunque prominet: quæ verò intus occulitur, ea sine omni ferè dolore, sine tumore cruorem exprimit, isque cruor simul cum deiectione exit, excremento alui nequaquam mistus. Hic fluor si nimius est, ingens periculũ habet: tum vires hominis consumuntur: viuidus faciei color perit, grauitas in coxis, & multa in cruribus imbecillitas est: ipse qui profunditur cruor, non iam amplius ater, atque crassus, sed purus ac rutilus est, necessarius naturæ thesaurus. Itaque si hoc vicium vetus esse cœpit, principium hydropis præbet. Nihilo leuiora pericula fiunt, vbi in ijs hæmorrhoides supprimuntur, qui sanguinis profluuio imbecilliores non fiunt, quique purgationis vice id, non morbi habent: scilicet inclinata in præcordia aut in viscera materia, subiti grauissimique

que casus incidunt, maximeque aut aqua intercutem, aut tabes. Quare rectè etiam præcepisse Hippocratem video, sic curandas hæmorrhoides esse, vt ex multis vna maneat aperta. Cui maturè fluunt hæmorrhoides, hunc neque lateris aut pulmonis tentare inflammatio, neque vlcera exedentia, neque lepra, vel elephantia, neq; vitiligo, ac neque melancholia, aut quartana febris solet. His autem ferè morbis rapitur, quisquis fluentes hæmorrhoides intempestiuè curatas habuit. Melancholicis, vel renum morbo fluctuantibus, vel insaniētibus hæmorrhoides fluere cœpisse, bonum est. Tum his etiam nimium suppressis commodum est, aut menstrua erumpere, aut sanguinem è naribus ferri.

Ani inflammatio.

Anus etiam inflammatione cingitur, maximè si vel dura equitatio antecessit, vel cæcæ hęmorrhoides dolorem in eo nimium mouerunt. Sub quo casu aluus propter ani tumorem difficillimè redditur, & interdum multis diebus retinetur: maximus dolor inest, qui & compresso ano, & deiectionis nixu summè exasperatur. Ex eo malo febricula interdum oritur, vtique si longo iam tempore nihil aluo redditur. Qui abscessus ab inflammatione gignitur, is sæpius in recti intestini cauum erumpit, tum vlcus fit, ex quo iam tum sordido pus fertur. Id vlcus propter loci naturam facilè ac breui in fistulam vertitur, quæ pòst difficillimè remedijs cædit: verùm diutissimè, dolore etiam sedato,

dato, manat, pusque fundit ante primã aluum, aut certè si media id deiectione fertur, excrementis non mistum.

Nouissimum id modò superesse videtur, vt notas proponam, quibus vulnera totius eius itineris, quo cibus ab ore per anum fertur, obseruari possint. Ergo icta gula, neque epulæ, nepue pocula transeunt, sed vt primum sumi cœperunt, vomitione redduntur: accedit singultus, animi defectio, & interdum neruorum distentio. At percusso ventriculo, frequens bilis vomitus, atque singultus incidit, quicquid cibi vel potionis sumitur, id protinus vomitur, pulsus elanguescit, tenues sudores extremis frigidis oriuntur, quos ipsa demum excipit mors. Communia vulnerati tum ventriculi, tum tenuis intestini indicia sunt, cibum, potionemque per vulnus ferri, & in vacuum labi abdominis spacium, inde ventrem, præcordiaque intumescere, & subinde bilem vomi. Cætera icta intestina, vel stercus, vel eius exhibent odorem.

Vulneratio gulæ, ventriculi & intestinorum.

Obseruationes in vicijs mesenterij, iocinoris, & lienis vtiles.

NOn leuis mesenterij vicijs debetur obseruatio. In hanc enim sedẽ facilè defluunt venarum superflua, indeque grauissimorum fiunt principia morborum, choleræ, melancholiæ, fluxionis alui, torminum, mali habitus, atrophiæ, languoris, lentarum & errantium

Tumor Meſenterij ſine inflammatione.

tantium febrium, aliorumque difficilis notæ ægritudinũ. Vbi hæc pars tumore citra inflammationem obſidetur, is ferè primum laxus eſt, ac mollis, inde prorſus ſpacio ſiccatus, indureſcit. Idem quoniam (vt etiam ipſa pars) ſine dolore eſt, tactu maximè preſſuque exploratur: altè enim intus eſſe ſepultus animaduertitur. Itaque ipſa quoque vrget, arctatque inteſtina, & cauſſam tardioris alui præbet. Non ita tumor muſculorum abdominis, non venter adipis mole prominens ſe habet. Neutrum enim inteſtina, vel aluum ſollicitat: adeps etiam manu appræhẽdi, & diſtingui ab abdominis muſculis poteſt: hi vbi tumorem ſuſtinent, primo contactu occurrunt, tumque ſemper vbi premuntur, & interdum non preſſi dolent. Foras item horum prominet tumor non preſſu, ſed blando tactu perceptibilis, & figuram, qualis eſt recti in abdomine muſculi, oblongam habet.

Inflammatio Meſenterij.

Inflammatione etiam rapi meſenterium ſolet. Tum grauitas quidem intus, at nullus manifeſtus dolor ineſt: febris oritur leuis, nullis moleſta caſibus grauioribus, ita vt ſub ea vitæ etiam obire munia homini liceat: incipiente morbo, ſanies per aluum rubra quędam fertur: orto abſceſſu, pus album defluit, ſæpiſſimè alui permiſtum excrementis, interdum etiam ſine miſtione ſincerum magna copia deijcitur, vtique ſi morbus verſus nouiſſima vergit inteſtina. Certiſſimum eſt, id genus puris à ſolo ferri

oportere

oportere meſenterio, quoniã ab alijs locis deſcendere ſine dolore, vel ſine miſtione, vel ſine febre vehementiori non poteſt.

Nunc iocinoris proponam vicia, quæ generis varij, & multæ eſſe obſeruationis ſolent. Si id viſcus impenſius calet, vt inedia inimiciſſima eſt, ita tamen cibi amittitur cupiditas, maximeque carnis: frequens etiã ac multa ſitis eſt: ipſe homo toto corpore calet, præcipuè palmis, & plantis pedum: quæ partes etiam, ſi ad calorem ſiccitas acceſſit, inareſcunt: ſi humiditas, madent. Ferè autem contraria his contingunt, ſi iecur frigidiore, quod rarò fit, intemperie labefactatur. Et quidem ſi materia etiam qualitatum intemperantijs (quod fit vbi hæ diutius immorantur) acceſſit, ea, ſi iecur calore vrgetur, bilis eſt, quæ ſubinde vomitu vel aluo extunditur, primum tenuis ac pallida, dein craſſa, flaua, ac fœtida. Inter hæc autem os amareſcit, vehementior, & inappetentia, & ſitis oritur. Interdum & febris mouetur, quæ ferè intermittens eſt tertiana, vel incerta, vel, ſi iecoris quoque radicitus viciata ſubſtantia eſt, lenta, per quam corpus interpoſito ſpacio ſenſim contabeſcit. Frigidi humoris notæ ſunt, aluus nec frequens, nec multa, ſine fœtore, ſine multa coloratione: rara febris tertiana: corpus quiduis potius, quàm macrum, cæteraque alia quæ contraria eſſe ſuperioribus ſignis poſſunt.

Iocinoris intẽperies.

Imbecillo iocinore multa obſeruari poſſunt, in quibus color corporis maximeque faciei, &

alui

alui deiectio facilè principem locum tenent. Facies triſti quodam pallore, aut virore fœdatur: deiectio, ſi quidem parum iecur trahendo valet, liquida vt cremor eſt, tametſi eo tempore nullum viciũ ventriculus, vel meſenterium ſuſtinent. Id enim ſi hîc eſſet, vix vllum concoctionis rudimentum, quod deijcitur, haberet. Quod ſi iecur non retinet, iam tum varij, difficilesque incidere caſus à profuſione alui poſſunt. Eoque vicio raptos, fluxusque factos, Græci propriè ἡπατικοὺς, nos iocinoroſos appellamus. Deiectio primum ſimilis eſt aquæ, qua nuper mactatæ animantis carnes ablutæ ſunt, ſanioſa ſcilicet atque ſubcruenta. Interpoſito ſpacio, eadem variè mutatur, prout iecur variè intemperatum eſt. Quum enim id caloribus vrgetur, fæculentus atque ex aſſatione craſſus, ac melancholicus ſanguis deijcitur, nouiſſimeque ipſa etiam atra profluit bilis. Inter hæc totum corpus liqueſcit, febris oritur, & cibi fastidium, & ſitis, eſtque pulſus celer, & vrina bilioſa. Cæterùm ſi ſine calore infirmum iecur eſt, parumque ea occaſione retinet, deiectio ſequitur ſanguinis limoſi, ac veluti in grumos coacti, eademque neque aſſidua, neque multa eſt, diuerſis excrementorum ferè coloribus imbuta, certis tamen temporibus cumulatior eſt, ac ſemper haud multũ fœtens: ipſum diutius trahitur malum, ac ſine febre incipit: quanquam interdum languida ea oritur, putrefacto in viſcere ſanguine. Porrò ſiccitas craſſiorem & magis ari-

Iocinoris imbecillitas.

Deiectio cruẽta quæ iocinoris vicio fit.

gis aridum humorem qui effunditur, facit: humiditas magis tenuem, & dilutum. Facilè iocinorosa deiectio hæc, qua cruenta redduntur, à torminibus distingui posse videtur. In his enim sanguis cum dolore, rosione, & strigmentis sensim, breuibusque interuallis paucus exprimitur. Contrà autem iocinore malè retinente, cruenta feruntur sine dolore, sine ramentis, idque cumulatim, & maioribus interuallis, duorum scilicet & interdum trium etiam dierum. Si rupta intus vena, aut adaperta sanguis deijcitur, is ab inferioribus locis ferè purus fertur, parum nigrescens: à superioribus autem protinus ater, ac liquidæ pici simillimus, quo tamen tincta lintea rubent: vt hac nota is quoque facilè dissidere ab atra bile possit. Si mutilato membro grandiori, aut propter necessariæ solitæque vacuationis compressionem ex aluo sanguis diffluit, is multa copia purus subitò prorumpit, subitoque desinit, longissimis spacijs temporum recurrens. Qui autem ab vlcere iocinoris cruor manat, is perexiguus admodum est, sensimque descendit multo virulento, turbidoque pure imbutus. Leuiculus etiam doloris tractus iuxta iocinoris sentitur regionem, atque eius vlceris quod illic inhæresci t, aliquæ ante notæ fuerunt. Eodemque modo proprijs noscì signis inflammatio iocinoris debet, quæ sanioſam subcruentamque aluum fecit. His animaduersis, omnibus facilè constat, quæ discrimina inter deiectiones sanguinis iecorarias,

& has

& has quæ proximè ſunt compræhenſæ, haberi ponique oporteat. Cæterùm per hanc iocinoris imbecillitatem, quæ modò proponitur, ſæpè vltro ſanguis vel è naribus, vel ex vtero, vel per hæmorrhoidas, vel cum ſputo effertur. Idem morbus, vbi ſpacium temporis accipit, aut in malum corporis habitum, aut in ipſum vertitur hydropem. Quòd ſi prius atra deijci bilis incipit, quàm hi morbi naſcantur, ſcire licet ægri vitam in præcipiti eſſe. Huc modò referenda quoq; ea iecoris videtur imbecillitas, qua, tametſi id ſat probè trahit, retinetque, at debiliter concoquit tamen & imperfectè ſanguinem creat. Itaque ſub eo vicio cruditates humorum oriuntur, dein pedes, & mox reliquum corpus intumeſcit. Eſt id genus noxæ his perfrequens, qui à morbo vel graui, vel longo conualeſcunt, & quos hydrops, aut durus iocinoris aut lienis tumor, aut longa aurigo labefecerunt.

Iocinoris obſtructio.

Nullum æquè viſcus obſtructioni, vt iecur, patet. Ea ſic noſcitur. Quo loco iecur eſt, in hunc grauitas (maximè cùm quis protinus à cibo exercetur) & diſtentio incidit, cui vt obſcurus quidam dolor, ſic nullus tumor, nulla febris accedit. Sub eo vicio fœdus in vultu color eſt: ſpiritus interdum non facilè trahitur, vtique ſi homo iter facit, altioremque ſuperare locum contendit: vrina tenuis diluta, & aquoſa eſt: aluus, ſi ſima pars iocinoris obſtructionē ſuſtinet, liquida eſt cremoris ſpecie, & multa, in-

ta, interdum (vt quidam volunt) etiam ſubcruenta: eadem, ſi gibbũ viſceris laborat, compreſſa, ſiccaque eſt: ſi vtrinque vicium eſt, alterius modò aſtricta eſt, modò liquida. Multos hoc malum grauesque caſus infert. Ferè enim qui morbus iecoris cauſſa incidit, ſiue inflammatio ſit, ſiue durus ſine dolore tumor, ſiue hydrops, ſiue febris, vel atrophia, vel alui fluxiones, is fieri prægreſſis viſceris huius obſtructionibus videtur.

Iocinoris durus ſine ſenſu tumor.

Inueteraſcẽte iocinoris obſtructione, interdum durus inſenſibilisq; in eo gigni tumor ſolet, quem Græci σκιῤῥόν dixerunt. Is tumor viſceris ſitu & figura circunſcriptus tangenti renititur ſemper (niſi ſi durius premitur) doloris omnis expers. Facilius autem ſentiri, ſi quis in dextrum latus decubuit, poteſt, quàm ſi idem ſit ſupinus: tum enim tumor non niſi preſſu deprehenditur. Magis etiam is ſeſe prodit, ſi nondum principium hydropis eſſe cœpit, ſimulq; gracile, atque expers adipis abdomen eſt. Semper autem commodior dextra parte decubitus, quàm ſiniſtra eſt: vultus obſcurum, fœdumque colorem habet: ſpiritus difficulter trahitur: languet appetentia: ſumptis epulis homo grauatur, detractis rectius habet: vbi iam vetus fit malum, maxillæ quodammodo laxantur: vrina non æquè largiter, vt antè, profluit, tandemque totus venter, crura, pedesque intumeſcunt, pectus atque humeri extenuantur. Itaque tum (quoniã initio parum occurſum fuit) hydrops

nasci incipit, qui vt primũ iam accesserit, nulla ægrum medicina periculo subtrahit. Æquè horrendum est, durum iocinoris tumorem auriginis initia præbuisse, aut vicissim hanc ex illo esse cœpisse. Tum enim id hydropis sequitur genus, quod ἀσκίτην græcè appellari suo loco dicemus. Quum frigidus autem humor iocinori impactus longo temporis spacio durum tumorem fecit, is ferè nullo vitæ incommodo diu immoratur: aut certè si in hydropis speciem aliquam vertetur, primùm in vicium mali habitus, dein in leucophlegmatiam quam sic Græci vocant, transit.

Iocinoris inflãmatio

Quum iecur inflammatione tentatur, febris fit ardẽs & acuta, dextro præcordio tumor inest, cui dolor iungitur, qui ad nothas eius lateris costas peruenit. Itaque leuis quoque tussis, & crebra, & sicca oritur, spirandique difficultas: accedit ingens sitis, cibique fastidium: tum lingua scabrosa redditur, & lentore oneratur, primum flauo, dein nigricante: quinetiam frequens mouetur singultus, & nausea, & vomitus sinceræ bilis, tum vitellinæ, tum æruginosæ, &, sub vehementi morbo, ipsius etiam atræ. Idem humor ita subinde violenter per aluum erumpit, vt graue eius profluuium, aut tormina concitet: vrina crassa est, rubicunda, ac turbida: totum corpus sæpè auriginis colore imbuitur. Quidam vrgente accessione desipiunt, simulque acerrimum meiunt. Si gibbum viscēris afficitur, tumor euidens, qui iniecta manu,

& in-

& interdum visu deprehendatur, dextro hypochondrio, vbi iecur situ est, inhæresçit: mox etiam frequentior russis, maiorque oritur spirandi difficultas: ipse perstringit non solùm nothas costas dolor, verumetiam ad iugulum vsque, & ad eiusdem partis humerum peruenit. Interdum manus quoq; dextra torquetur: adhæc grauitas in affecto loco maior est: parum vrinæ meitur, atque, cùm grandior est tumor, etiam nihil: rarior, minorque incidit singultus: tota corporis cutis nouo colore imbuitur. Molestius in dextrum latus decumbitur, premitur enim tum pars infirma, magisque dolet. Porrò vbi ad caua viscera magis consistit inflammatio, minor quidem grauitas subest, at fastidium cibi, sitis, nausea, vomitusq; bilioſus vehementius vrgent: ipseque homo singultu penè strangulatur. Tum lingua etiam nigrior est, promptiorque bilioſa deiectio, & summi corporis refrigeratio, & syncope. Magis etiam aliquis, si in sinistram partem decubuit, vrgetur. Quæ hic inhæresçit inflammatio, securior est ea, quæ gibbum iocinoris occupat: hæc sudationibus aut fusis vrinis, aut manante è naribus sanguine tollitur: illa sudoribus quoque, sed & cita aluo, aut vomitu conquiescit. Hactenus ea signa posuimus, quæ vehementiori debentur iocinoris inflammationi. Verùm hæc tamen (quod nos frequenter vsu medendi obseruauimus) adeò interdum leuis, paruaque est, vt dolor, grauitas, totusque morbus magna potius respira-

tione deprẹhendi, quàm tactu debeat. Omnia sub hoc casu mitiora sunt, ipsumque vicium multis sæpè mensibus trahitur. In quauis iocinoris inflammatione, si crudo etiamnum morbo & viribus infirmis, alui oritur profluuium, malum est. Inimica etiã corporis liquatio, præcipuè si vel raucitas, vel multa simul tussis accedunt. Mortiferum est spumantem sanguinem excreari, vel sputum statim subputridum, vel sincerè bilioſum esse. Haud rarò morbus, vbi non soluitur, suppurat, oriturq; abscessus prorsus exitialis. Is vbi iam fieri incipit, febres increscunt & dolores, nihilque ferè de loco affecto defluit: decubitus in omnem partem corporis molestus est: ipse æger sæpè sine ordine, sine certa causa inhorrescit, moxque maioribus caloribus vrgetur. Facto pure, dolores quidem, ardoresque minuuntur: at homo longè fit imbecillior, id quod pulsu frequenti, paruo, ac languido, crebraq; animi defectione cognoscitur. Hæc defectio, vbi rupto abscessu pus effluit, increbrescit, & penè in syncopen transit, ex quo casu seruatus, vix vnquam quisquam fuit. Quod si vita tum quoque manet, pus modò per aluum, modò per vrinas defluit, & interdum vomitione quoque redditur: Non sæpè etiam exeso viscere in abdominis excidit cauum spacium, fitque exitialis hydrops, quo venter manifestè intumescit, & inguina, pubesque grauitatem multam habent. Vlcus autem si in iocinore relinquitur, nunquam sanescit, homi-

nem-

nemque ſpacio extenuatum conſumit: tum aluus putrida eſt, & ſanioſa, & nõnunquam ſubcruenta, ac ſi ex cadauere eſſet facta colliquatio: ipſa quoque vrina ſanie perfuſa eſt, maximè ſi in gibbo iocinoris vicium fuit.

Iocinoris corruptio.

Iecur quoque corruptionem tota pati ſubſtantia, vt pulmo, ſolet, vnde homo ſpacio contabeſcit. Is morbus ſenſim oritur, ſenſimque creſcit, quare per initia hominem lecto non affligit, ſed obire etiam munia vitæ ſinit, tumque febris eſſe nulla depræhenditur, quæ tandem tamen creſcente admodum malo lenta oritur, qualem primo libro propoſuimus. Non ingẽs ſitis, non tumor in hypochondrio eſt: ſummum vini meraci optimique deſiderium, maximum carnis, & præcipuè calentis faſtidium afficit: totus homo languet, tum animo, tum corpore: ſæpè anima deficit, idque vbi tandem violentius ſit, ſudor frigidus erumpit, ſub quo æger perit.

Tumor lienis.

Lienis ſæpius quàm iecur tumore, tum laxo, tum duro oneratur. Creber ac difficilis ſpiritus eſt, maximè currentibus, vel intentè laborantibus, vel in dextrum cubantibus latus. Ferè manet appetentia, ſed malè cibus concoquitur, vnde fluctuatio gignitur, & multa oris ſaliua, rugitus etiam in ſiniſtro hypochondrio auditur, & flatus ſuprà infráue plurimus æditur. Interdum morbi materia ita corrumpitur, malignaque fit, vt totum quoque impetat corpus, idque vel ictero, vel malo habitu turpe reddat. Sub eo malo habitu os malè olet, gingiuæ exe-

duntur,& à dentibus discedunt: loca sub inferiori palpebra tumẽt,sanguis aliqua parte,præcipuè è naribus funditur:dum intus epulæ concoquuntur,acidum quid euomitur,tametsi vomitus in eo morbo semper difficilis est:aluus sępissimè esse astricta solet: venter sinistra parte intenditur:aliquis etiam vesperi cruribus est tumor: vultus prauo obscuroq; colore fœdatur: per quietem turbulenta, & aliena fiunt insomnia. Iam si neque sanguis vspiam erumpit, neque os fœtet,vlcera in tibijs fiunt,quæ aut omnino non sanescunt, aut ægerrimè cicatrice tegũtur.Et quidẽ si durus lienis sine sensu tumor est, quem Græci σκίῤῥον appellant, is aliàs ipsius viscеris obsidet corpus, situ,& partis figura circumscriptus, aliàs totum vndique sinistrum occupat hypochondrium.Idem longiore tempore, quàm is qui laxus est,cõtrahitur, duritiem, omniaque grauiora & maiora habet. Nihil æquè significare lienis, aut iocinoris vicia, atque color hominis potest,adeò vt ex eo quidam solo nõ exploratis tactu visceribus, morbum deprehendant. Tumor autem lienis ijs insidiari solet,quibus crebrò incisa vena,sanguis profunditur, & quibus vagæ & incertæ febres, maximeque pestilentiales fuêre. Solet autem is plus habere spacij, & minus periculorum, quàm si iocinori inhæresceret. Sub eodem vicio si pedes intumescunt,in proximo hydrops est. Periculosum est sæpè tẽtatam medicinã non profuisse:vrina etiam tuta non est,quæ diu tenuis,

&aquo-

& aquosa fertur: tormina non longa in eodem morbo vtilia sunt, sæpeque malum ex toto finiunt: verùm vbi hæc inueterauerunt, nocent: & quidem tum si eadem hæc vel in læuitatem inuersa sunt intestinorum, vel in hydropē, nulla succurrere medicina potest. Quilibet lienis tumor curationem per initia non difficillimam habet, at si is trahere incipit, nunquam, aut ægerrimè tollitur. Decrescente liene, salutiferū est vrinam, amisso aquoso colore, ad sanguineū vergere cœpisse, aut crassam, fæculentam, multamque ferri. Quò magis grandescit lienis, eò impensius corpus emacrescit, corrupti intus humoris argumentum. Varij euentus esse tumidi lienis solēt: alijs enim per interualla modò grādescit, modò minuitur: alijs assiduè magnus manet, neque vlla curatione extenuatur, atque hi maiore in periculo versantur, hydropi magis opportuni: nō paucos etiam videre memini, cum duro liene vitam omnem nullo incommodo exegisse.

Lienis inflammatio

Inflammato (quod rarò fit) liene, durus tumor, ac pulsans, dolorque sinistrum obsidet hypochondrium, cum assidua vehementique febre. Ingens etiam æstus atque sitis est, linguaque subnigro lentore oneratur, cibi amittitur cupiditas, spiritus fit difficilis, ac velut intersectus, qualis esse per iram eiulantibus pueris solet. Si abscessus fit, itemque vlcus, ijsdem propè notis hîc deprehendi, quibus in iocinore potest.

Atra bilis
s. 27. Melancha Hypochond.

Proximũ eſt de Atra bile dicere, quem morbum miror (tam frequens cùm ſit) non niſi ab vno, & item altero noſtrorum hominum agitatum literis eſſe. Siniſtrum hypochondrium neque tumet, neque diſtenditur, opprimiturúe, nec vnquam, niſi fortè obſcurè, dolet, verùm præcordia æſtuant, præcipuè vino aut calidioribus epulis aſſumptis. Siquidem hæ non facilè concoquuntur, fitq́ue plurimus tum ructus, tum flatus. Arteriæ in præcordijs ſupraq́ue vmbilicum vehementer mouentur, ipſaq́ue oritur ingens, crebraq́ue cordis palpitatio, quam animi ſubinde excipit defectio: quo tempore pulſus etiam protinus mutatur. Inter hæc quibuſdam incipit aliena eſſe mens, vanaq́ue triſtitia, ac metu concuti. Longus hic morbus eſt, ſæpeq́ue victus errore reuertit.

Nunc de cõmunibus vicijs loquar, quæ tum iocinoris fieri occaſione, tum lienis poſſunt.

Aurigo.
S. Icterus.

Incipiam ab Aurigine, quam Græci ἰκτερόν dicunt. Sub eo morbo bilis vel flaua, vel atra in ſummum corpus effuſa, ſuo id colore inficit. Hic color maximè in oculorum albo, & circum tempora cernitur. Vbi à flaua bile morbus oritur, fit capitis dolor, & ſitis, venæq́ue ſub lingua plenæ tument, ingens corporis, maximè cùm id mouetur, ſegnicies, ac mentis hebetudo eſt: aliquis etiam pruritus tota cute vagatur: ipſum tamen vix ſudat corpus. Semper autem quacunque de cauſſa natus morbus eſt, accedit membrorum laxitas: &, vbi vehementius homo

mo mouetur, ſpirandi difficultas: multo autem interpoſito tempore, totum corpus cum pallore quodam inalbeſcit: febris aut nulla aut admodum lenta inhæret: vrina turbida, craſſa, & crocea eſt: aluus, ſi quidem bilis intus cumulata morbi cauſſam dedit, penitus bilioſa eſt: ſi verò quæ ad bilis folliculum pertinẽt itinera obſtruuntur, deiectiones albicant, nulla amari humoris in aluum illapſa parte: deſcenditque paucum ſtercus, & ſubuiſcoſum, idque paulatim, & crebrò ad deſidendum progeſtu: tum quoque vrina adeò rubra, craſſaque eſt, vt propè nigreſcat: ſenſus etiam grauitatis aliquis, at nullus euidens tumor dextra præcordiorum parte percipitur. Porrò icterus ſi lienis ſequitur affectum, obſcuriore primum colore corpus inficit, dein ſubliuido & ſubnigro: tum ferè ſiniſtro hypochondrio grauitas ineſt, & ſubdurus interdum tumor: triſtior eſt animus, atq; alienis cogitationibus præpeditus: corpus minus graue, quàm in ſuperiore vicio eſt: deiectio atque vrina, modò pro natura ſeſe habent, modò ſubnigra ſunt: ſæpius tamen aluus comprimitur. Hoc genus icteri ſuperiore grauius eſt, & magis in vetuſtatem cadit. In eo ipſo hæmorrhoides fluere cœpiſſe, bonum eſt. Nunquam lienis flauum icterum fecit, iecur ſæpè nigrum, tametſi hic iſte non æquè per omnia niger eſt, vt is qui propter affectũ lienem gignitur. Vndecumque autem is eſſe morbus cœpit, periculum hydropis minatur, ſi vrina prorſus alba,

aut

aut certè multum diluta diu fertur. Idem hydrops ijs etiam insidiatur, quibus grauis aurigo, longaque fuit. Etenim spacio niger quoque lapillus in bilis concrescit folliculo, quem casum nunquam ferè non hydrops sequitur. Perniciosissimum est durum fieri iecur, aut ex hoc prius duro natam auriginem fuisse. Ea enim res extra omnem opem humanæ medelæ est. Periculum etiam habet orta inflatio, maximeque si ea curationibus non soluitur. Tutum quoque non est nimiam vigiliam esse, itemque penitus amissam cibi cupiditatem, aut linguam resolutam, sic vt vix formare æger sermonem possit suum, metumque auget, delirium si his interuenerit. Graue etiam est post natam auriginem, febrem sequi, vtique si dextra præcordia dura manserunt. Præter hanc auriginis speciem, quam veram esse perhibemus ac simplicem, alia atque alia est, quæ simplex non est, quæque multo rarius incidit. Siquidem vbi iecur inflammatione tentatur, corpus interdum præ sanguinis incendio vndique torrefacta bile suffunditur: sub quo casu præter dextri hypochondrij grauitatem, tensionē, & dolorem, vehemens ardensque febris oritur: & accedit biliosa tum vrina, tum deiectio: cæteraq; signa sequuntur, quæ iocinori inflammato iungi suo loco demonstrauimus. Aliud quoque auriginis genus fit per febriū biliosarum iudicationes, cùm flauus humor vi naturæ in summum corpus extruditur, suumque cuti imprimit colorem.

lorem. Subitò hæc aurigo naſcitur: &, ſi non alieno tempore fit, febrem abſoluit. Tempeſtiuè eam fieri Hippocrates ſcripſit, die ſeptimo, aut nono, aut vndecimo, aut decimo quarto, modò tamen mollia præcordia ſint: antè ſeptimum febris diem ſi oritur, periculum oſtendit.

Graue in primis malum & obſeruatione non pauca dignum, aqua inter cutem eſt, Græci ὕδρωπα vocant. Tria eius numerantur genera. *Hydrops.* Ac primum quidē eſt cùm toto eo ſpacio quod inter peritonæum & inteſtina vacuum eſt, multa aqua coit, vnde totum abdomen diſtenditur, Græci id ἀσκίτην appellant. Secundum eſt, cùm hæc loca quę dixi plurimus intus flatus onerat, quod vicium τυμπανίας græcè dicitur. Nouiſſimum genus aquæ ſubter cutem eſt, quam Græci λευκοφλεγματίαν nominant. Corpus molli tumore grandeſcit, maximeque tibiæ ac pedes, cùm aliàs tum veſperi maximè & poſt exercitationem, aut quum diu decliues hæ partes fuerunt. Is tumor ſi premitur, foſſulam quæ tardè rurſus impletur, habet, impreſſi digiti veſtigiū: idemque ſæpè tumor & ad fœmora, & ad ſcrotum peruenit, quique veſperi ingens in pedibus erat, manè omnem pene molem depoſuit. Venter ad contactum craſſus eſt, nihilo tamen ferè plus tumoris huic, quam cæteris partibus ineſt. Corpus ſiquidem æquabiliter molle, laxum, ac pallidum eſt, idemque enerue, ac languidum minimis laboribus frangitur. Ipſe trahitur aceruatim ſpiritus, maximeque ſumptis epulis, λευκαφλεγματίας. p. 22. a

epulis, febris item lenta continenter afficit: pulsus vndosus est, & paruus, & creber, & inæqualis: deiectio cruda, & non sæpè subcruenta est: vrinæ albæ, tenues, aquosæ. Hoc genus hydropis ferè diuturnas febres excipit, viciosumque ventriculi habitum, & nimium compressos nimiumue fluētes tum menses, tum hæmorrhoides: adhæc spiritus longam difficultatem, & immodicā vigiliam. Idem pueris sæpius quàm adultis insidiatur, solaque magnitudine à pituitosa differt cachexia, quod in illo plus, in hac minus tumoris insit. Ferè autem fit vt qui sic laborant, modò rectius sese modò peius eodem etiam die habeant. Morbo autem incipiente, si aluus sponte profluit, principium secundæ valetudinis facit.

Ασκίτης. Proximum est notas, quibus Ascites deprehendatur, proponere. Venter, totumque abdomen cum quodam grauitatis sensu intumescit, & quum impellitur, sonum collectæ permotæq; intus aquæ præbet, qualis ab vtre non omnino aquæ pleno redditur. Hic humor totus modò intra spacium abdominis includitur, modò pars eius aliqua in scrotum, & in fœmora, & in pedes delabitur, maximeque post corporis exercitationem. Sæpè etiam & ad pectoris penetrat spacium, & intra ipsum etiam vterum, vtique cùm iam magnus morbus & vetus esse cœpit. Vbi premitur tumor, spiritus fit difficilis: Ferè autem semper vehemens adest sitis: pulsus paruus, frequens, subdurus, atque tensus est:

ſus eſt: vrina perpauca meitur, eaq́ue ferè craſſa & rubicunda eſt, vtique ſi ab iocinore ortum primò malum fuit: totum autem corpus dempto ventre, extenuatur, ac veluti liqueſcit: ſubinde etiã febricula corrupta intus aqua naſcitur. Hic iſte hydrops ferè duros veteresq́; meſenterij, iocinoris, lienis, vel vteri excipit tumores, itemq́ue ardentiſſimas febres, & ex viſcerum noxa contractam, diuq́ue immoratam auriginem. Idem infrequentior pueris eſt, quàm adultioribus. Fereq́ue eos etiam adoritur, qui propter viſcerum ruptam vel exeſam venam, crebrò ſanguinem vel vomitu, vel aluo reddũt.

Supereſt modò nouiſſimum hydropis genus quod à flatibus oritur, & ob id Τυμπανίας Græcis appellatur. Venter, etſi minus quàm in Aſcite habeat molis, ita tamen tenditur vehementer, vt digito percuſſus tamquam tympanum ſonet: idem parum fluctuat, ſed leue murmur, ac quendam veluti rugitum exhibet: frequens ructus deſiderium eſt, eoq́ue ædito leuari aliquantulum homo videtur: pedes non vſqueadeo vt in cæteris generibus tument: reliquum corpus extenuatur. Sæpè hoc malum ventriculi & coli inflationibus, itemq́ue longis febribus ſucceſſit. Illud rectè ab Hippocrate animaduerſum video: quibus tortiones, & circa vmbilicum, circaq́ue lumbos dolores ſunt, qui neque medicamentis, neque vllo alio modo ſoluuntur, ijs in hoc ipſum genus ſicci hydropis iſta conſueſſe firmari. Aſcites atque Tympanias

Τυμπανίας. s. Tympaniter.

4. Aph. 11.

panias ſic à Leucophlegmatia differunt. In hac totum corpus laxa mole æqualiter creſcit, venterque nihilo plus huius, quàm cæteræ partes habent. At in illis prioribus, ſolus venter attollitur, eſtque aliquis pedibus tumor, ſed reliquũ corpus emacreſcit. Pulſus ſub Leucophlegmatia vndoſus eſt, mollis, & latior. In Aſcite paruus, creber, ſubdurus, ac tenſus. In Tympania longior, celerior, creber, non imbecillus, ſubdurus, ac tenſus. Illa ferè omni hydropi communia ſunt. Vbi is nondum quidem eſt, ſed vt fiat metuitur, ſolitas naturæ vacuationes præter modum compreſſas eſſe, potiſſimum hæmorrhoides atque menſes: aut contrà aliquid ex his ipſis æquo plus vel diutius ferri: adhæc vel durum in iocinore atque liene tumorem, vel auriginem, inteſtinorumúe læuitatem inueteraſcere, neque idoneis tolli remedijs potuiſſe: prẽterea diu malos ſuccos, malumúe corporis habitum fuiſſe (illud Græci κακοχυμίαν hoc κακεξίαν dicunt) Sed & inter hæc vel teſticulos interdum intumeſcere, appetentiamúe modò ingẽtem, modò nullam eſſe. Vbi verò morbus inuaſit, inferiora corporis à ventre ad pedes vſque tumorem exhibere, ſpirandiúe eſſe difficultatẽ, & colorẽ hominis viciari ex virore ſcilicet albicãtem: adhæc cibi incidere faſtidium, itemque ſitim, ac ſiccam tuſſim, tametſi prior illa magis peculiaris ſit Aſciti, & tuſſis arida Tympaniæ. Æquè communia ſunt ſemper in hoc morbo iecur affici, & humoris nimiã abun-

dantiam

dantiam esse, ob quam ne vlcera quidē in corpore facilè sanescunt. Hydrops sæpè per se incipit, sæpè alteri vetusto morbo, potissimum quartanæ, superuenit. Ferè autem eum aqua repletum iri timor est, cui sanguis vbertim suprà infraúe erupit, itemque febris accessit: ex quo casu vix quisquam euadit. Tutius laborant hi, quibus magni modò fiunt tumores, modò rursus occuluntur. Verùm decipit ea sæpè res ægrotos, penitusque facit, vt curationes negligant medicorum, ac pereant, fiducia secundæ valetudinis falsi. Securior censetur hydrops, qui lienis quam is qui iocinoris secutus tumorem est. Securissimus, qui nullo antecedente morbo cœpit: vtiq; si firma viscera sunt: si spiritus facilè trahitur: si nulla aut tussis, aut sitis, aut linguæ ariditas est, præcipuè à sommo, quo tempore incidere illa maximè solent: adhæc si nullum cibi fastidium, eoque sumpto, nulla homini molestia est: si venter mollis est vel extenuatur: si is ipse accepto medicamento, mouetur: aut si excrementum fundit molle ac figuratum: si vrina mutatione potionum, aut epotis medicamentis, ipsa protinus demutatur: si homo expers doloris, & caloris, & lassitudinis est, morbumque facilè sustinet. Qui omnia hæc habet, is tutò laborat. Bonum autem est, tumores in extremis tantum partibus esse: optimum est nusquam esse. Cita quoque aluus quæ leuat morbum, vtilis est: quæ grauat, prorsus inutilis, atque pernicioſa est. At verò summum

Prognost.

mum periculum ſignificatur, ſi is morbus calidum ſiccumque corpus, ac ſimile iecur occupat: ſi ex acuto morbo cœpit: ſi durum iocinoris aut lienis ſecutus tumorem eſt: ſic enim nunquam, aut certe vix vnquam ſaneſcit. Metus autem augetur, vbi in eodem morbo ſicca tuſſis oritur, aut fluxio ſanguinis, alteriusue qui hominem non leuat humoris, maximè ſi ſpiritus manet difficilis, & ipſa vertitur in tormina deiectio. Tum enim ægrum proximus ferè tertius dies tollit. Tutũ quoq; non eſt comitiales affectiones accedere, malè olere ſpiritũ, itemue ſputum, aut ſudorẽ, aut vniuerſum deniq; corpus: adhæc vbi febris quoq; acceſſit, vrinam modicam atque turbatam eſſe: aut, vbi aqua iam mediocrem corpus impleuit, ſanguinẽ ſurſum, deorſumue aliqua parte prorupiſſe. Præterea ſublatum morbum, ſæpius, & breuibus interuallis reuertiſſe, multoque magis idoneis agitatum remedijs remittere non potuiſſe, ſtabilemque, & inconcuſſum corpori inhæreſcere. Ad extrema ventum eſt, vbi ſub infirmis viribus incipit profluere aluus, ſimulque ingens ſpirandi difficultas vrget: vbi praua vlcera grandiaque in ore, gingiuis, tibijs, aut alia denique corporis parte oriuntur: vbi veluti concretus ſanguis ab aluo deijcitur: vbi vrina diuerſis matulæ regionibus diuerſos colores exhibet, ſic vt infernè rubra ſit, ſupernè liuida, aut contrà. Cita quoq; mors occupat, ſi, cùm quis ſecatur, aut vritur, aqua ex ventre ſimul, ſemelq; omnis effuſa eſt.

Ioci-

Iocinoris atque lienis vulnus, si summa tantum parte acceptum est, hæc infert. Ad spinam præcordia reducuntur: sanguis vomitione, atque deiectione redditur: in latus dolor pungēs incidit, qui in nonnullis ad iugulum etiam peruenit: inter hæc sæpè anima deficit, oriturque febris, atque alui profluuium. Si æger primis diebus non moritur, spacio cōsumitur, egensque nutritionis contabescit. At verò quum altius intra viscera mucro descendit, sanguis, qua parte præcordiorum vulnus illatum est, copiosè profluit, sequiturque bilis vomitus: ipse æger lubens, ac quadam voluptate in ventrem cubat. Hinc animi oritur defectio, quæ sæpè grauis recurrens, orto frigido sudore occidit.

Vulneratio iocinoris et lienis

Obseruationes in vicijs renum, & vesicæ vtiles.

REnes vbi affecti sunt, diu malè habent, præcipueque in senioribus. Eorum inflammatio, quæ tamen admodum infrequens est, his sese signis prodit. Assiduè febris tenet, & sine certo ordine, ea modò increscere, modò minui videtur: dolor grauis ac pulsans cum vehementi ardore, paulo nothis costis altior, in dorso versatur, eiusque tractus inde ad iecur vsq;, si dexter ren laborat, peruenit: deorsum verò ad vesicam, ad naturalia, ad pectinem, & ad fœmora peruenit, magisque si vicium in rene sinistro est. Hic ipse dolor sternutamento, atque tussi intenditur. Idemque aliàs continen

Renum inflammatio

ter hominem fatigat, aliàs interualla quibus mi
teſcit, habet. Adeò verò in quibuſdam effrena-
tus eſt, vt animi occupentur defectione, & fuſis
ſudoribus labefiant. Inter hæc ingens eſt cibi
faſtidium, itemque nauſea, & ſtomachi dolor,
& crebra bilis vomitio: venter arctiſſimè com-
primitur, ex quo is etiam inflatur, & ructus ſur-
ſum per os aſſiduè extundit: vrinæ reddendæ
difficultas, at aſſidua cupiditas eſt, eaque fre-
quenter quodam cum ardore promanat, pri-
mum tenuis, & aquoſa, in qua nihil ſubſidet,
hinc magis rubra, tandem autem craſſa, & mu-
coſa. Sæpiſſimè autem extremæ partes, maxi-
meque pedes refrigeſcunt, propinquo cruri ſtu
por ineſt, ac vix erigi homo poteſt, vel pedi-
bus incedere. Facilior etiam ægris in latus in-
firmum decubitus eſt, facilior ſupinis, quàm
pronis. Id profectò genus morbi concoctione
proba maturuiſſe, iamq; penitus ſanatum eſſe,
finitis doloribus cognoſcitur, & vrina multa,
craſſaque, in qua quod ſubſidet, bonũ eſt, vim-
que finiendi morbi habet. At verò periculum
nunciatur, ſi frequens bilis vomitus eſt, longe-
que magis delirium terret, ſi ſimul etiam extre-
ma inalgeſcunt. Certa mors eſt, quum ren præ
nimio tumore diſrumpitur. Iam autem vbi in-
flammatio adhibitis remedijs non ceſſit, dolor-
que in loco pulſans & grauitas manent, febris-
que non minuitur, imo potius increſcit, ſed &
crebrum ſimul meiendi deſiderium, magnaque
difficultas eſt: ſcire licet ſuppurationem intus
fieri,

fieri, quæ vbi iam consummata est, manet quidem grauitas in rene, at dolor mitescit, minorque redditur febris. Vbi erupturus abscessus est, homo inhorrescit, sequitur vehementior & febris, & dolor. Vt primum is erupit, protinus hæc ista conquiescunt: tum vrina crassa, turbida, subcruenta, & multa profluit: cum qua si pus album, leue, æquale, & odoris non mali fertur, certam bonæ valetudinis spem facit. At si id ad intestina quoque diuertit, aut alioqui cum vrina redditum malè olet, liuidumque est, & inæqualiter mucosum: scire licet malum esse, ex eoque grauem intus exulcerationem significari. Ferè tum quoque caruncula quædam perexiguæ ex putri renum substantia quasi capilli cum vrina efferuntur. Iam autem non sæpè curata perperam inflammatione elapsis maturationis temporibus, febris omnis dolorque cessant, durus autem tumor cum multa loci grauitate relinquitur. Cuius rei peti indicium inde debet, quòd sine resolutione materiæ sine suppuratione dolores conquieuerunt, & quod diu vrina aquosa, et pauca fertur, quod que coxæ, & quæ his sunt partes inferiores, stupent, impotentes fiunt, atque emacrescunt. Is profectò casus extra spem omnem medelæ est. Itaque interposito spacio, in hydropem vertitur, & occidit.

Tormentum à calculo renibus illatũ, sic in- *Renum calculus.*
notescit. Acerbissimus atque more infixi acu-
lei pungens dolor in renem incumbit, eaque

sede stabilis inhæresçit, nisi quod interdũ per ilia versus coxendicem, vel ad testem proximũ excurrit. Nullus foris tumor est: spina ægrè flectitur: crus quod è directo est affecti renis, alijs stringitur, alijs quasi obtorpescit: frequens est ructus, & ingens cibi fastidium: sub maximis doloribus vomitus fit, primum pituitæ, mox bilis flauæ, ac tandem etiam æruginosæ, post quæ dolores mitescunt: aluus astringitur, eademque, quia renem fece vel flatibus premit, dolorem auget: quòd si fortè ea soluitur, cum spiritu excrementũ subbilioſum reddit. Cùm quis aut in ægram decumbit partem, aut cibo vacuus est, dolores leniuntur: cùm in contrariã cubat, aut cùm sumptæ epulæ descendere iam ad intestina incipiunt, omnino exaugentur. Vrina veniente accessione pauca, tenuis, & diluta est, moxq; crescente tormento, tota subinde cohibetur: at excusso è meatu vrinario (quẽ οὐρητῆρα græcè dicunt) lapide, vrina copiosa, crassaque profluit, in qua resident arenulæ multæ, & subinde grandiores, & inæquales calculi, aut horum confractæ partes. Eadem interdum bullat, & malè olet, quodamque sensu ardoris crebram mictionem facit: non rarò etiam quasi sanguinem trahit, maximè si labor aut equitatio durior antecesserè. Qui huic morbo obnoxij sunt, his multo tẽpore vrina fere crassa, subrubra, cum densa, tenacique spuma redditur: quæ aliàs sedimentum habet rubrum, subuiscosum, arenosumque: aliàs turbida permanet,

quæ

quæ ſi panno percolatur, in eo ſimilem propoſiti ſedimenti ſordem deponit. Huiuſmodi vrina ſæpè multis annis nullo vitæ incõmodo fertur, ſine renum dolore, ſine vlla alia calculi nota: verùm tandem ſubitò præter omnem opinionẽ acutiſſimus dolor in renẽ incidit, ſimulq; aluus aſtringitur, & crus quod è directo eſt, ſtupet. Is dolor ex interuallis ſat longis ſæpius redit, idque interdum ſine calculi excretione, tumque vrina craſſa, ac turbida eſt, propterque prægreſſam duram fortè equitationem, interdum cruenta. Scilicet ſola ſanguinis mictio ſæpè renis calculum patefecit, qui neque dolore, neque vllo alio indicio ſignificabatur: adeò, vt ne ſubeſſe quidem putaretur. Quum autem renis dolorem calculi ſequitur excretio, is, vbi in caput impegit ductus vrinarij, penitus efficit vt vrinæ meiantur tenues, paucæ, ſubaquoſæ, & haud rarò etiam totæ cohibeantur: vbi verò vel remeat hinc in cauum renis calculus, aut certè vbi foras in veſicam excutitur, protinus ea redditur vrina, quam modò propoſui: vt rectè dixiſſe Hippocratem exiſtimem, repentino renum dolore cum mictionis defectu, calculorum, aut craſſarum vrinarum excretionem portendi. Non rarò calculus adeò grandis eſt, vt è renum ſubſtantia, in qua gignitur, pelli in cauum non poſſit. Itaque id temporis vix vllus dolor ineſt, ſed vrina fertur craſſa, turbida, ſubrubra, qualem deſcripſi. Et quidem ſi validus labor, aut dura inciderit equitatio, non ſolùm

huiusmodi vrina redditur, sed etiã verè cruenta, in qua quod subsidet, quasi sanguis est in grumum concretus. Vbi propulsus in vacuum renis calculus est, is si grandis est, deorsum latus meatum obstruit vrinarium, ipsamque adeò intercipit vrinam, vel certè reddi paucam facit, eamque solito tenuiorem, & subaquosam simulque acutissimum dolorem mouet: vbi minor est, quàm vt multum impingere in iter vrinæ, cùm in hoc descendit, possit: itemque vbi grandis est, & in cauo renum cõtentus, hucque recens è substantia trusus, nondum ad vrinæ meatum impegit, vrina fertur crassa, turbida, rubra, aut subliuida obscura. Porrò leues calculi, & rotundi, non æquè difficulter, vt oblongi, & asperi, excluduntur. Non omnibus autem eadem magnitudo, vel forma, vel aspritudo est. Quibus vetusti iam renum dolores sunt, quoniam vrinæ itinera magis patent, hi grandioribus calculis potius torquentur, mediocribus non item. Quibus nouum id vicium est, aut certè rari eius dolores fuere, hi minimo etiam calculo cruciantur. Omnibus autem renum calculis ferè color subruber est: quanquã purulenti renes albos etiam calculos elidunt: sed & aliàs nigros & pallidos fuisse eiectos constat. Quo vrina sub hoc morbo magis aquæ similis est, & quo diutius sic fertur, minusque sedimenti habet, eò duriores in rene calculos, & magis confirmatos, magisque rebelles esse sciendum est. Tametsi vrina vix vnquam clara ab his

Prognos.

Color calculorum renum.

Vrina.

his meitur, qui grauioribus renum doloribus sunt opportuni. Idem tormentum frequentius est pinguioribus corporibus, itemque senioribus, vix vnquam autem pueris accidit, rarò ad adultam ætatem prouectis. Infrequens etiam est ijs qui sæpius vomunt, & aluum non impeditam habent. Vt omnia renum vicia in sene difficilimam curationem accipiunt: sic hoc ipsum quod proponitur, planè nullam. Idem omniũ est maximè hæreditarium, adeò vt vix vnquam calculi effugiat tormentum, quisquis parentũ occasione huic expositus morbo ab naturæ ortu fuit.

Renũ exulceratio.

Cùm alijs de caussis, tũ maximè propter calculum exulcerari renes solent, id quod his notis ostenditur. Vrina crassa, turbidaque est, & per labores plus coloris habet, in hac sedimentum per quietem fit crassiusculum, tumque reliqua vrina ferè inclarescit. Si recens vlcus, simplexque est, cruor cum vrina fertur: si canum ac sordidum est, crassior vrina fit, & alba, & fœtida, vereque purulenta, lacti non admodum dissimilis: in hac autem ipsum subsidet pus: vbi altius vlcus insedit, & sine modo sordidum in fistulam abit, in hac ipsa quam proximè dixi vrina, crassamentum quoddam subsidet viscidum & cohærens, narium muco, aut oui candido persimile. Inter hæc ipse sæpè ren ita pereditur, vt pus membrana eius ambiente tanquam mar supio, multique item calculi obuoluantur. Hinc etiam in venas pus delatum, malum effi-

cit corporis habitum, qualis antecedere Leucophlegmatiam consueuit. Interdum etiam inter peritonæi fluctuat membranas: non sæpè etiam eo ipso tota ventris, lumborumque regio impletur, & subinde vomitu, vel aluo sincerum redditur. Iam verò per omnẽ penè morbi decursum vrina modò non ægrè meitur, modò guttatim destillat, assidueque ad mingendũ quodam irritamento inuitat: dolor lumbos exercet cum aliquo grauitatis sensu. In hoc autem vicio si post mictionem puris, sanguis meitur, indicium grauis erosionis præbet. Vlcus renum & vesicæ, vbi longa (quod ferè fit) vetustate occupatur, nunquam sanescit.

Cruenta à renibus mictio.

Est etiam animaduersio in mictione sanguinis à renibus profecti necessaria. Semper is vniuersæ vrinæ sic temperatur, vt hæc quasi dilutus esse putetur sanguis, idemque protinus subsidet rubicundus, liquidus, ac minimè concretus. Quod quidem vesicæ caussa dico, à cuius musculo qui cruor dimanans, & in cauum vesicæ lapsus inde emeitur, vrinæ non æqualiter miscetur, idemque vbi subsedit, in grumum mutatur: si calculus in caussa cruentæ mictionis est, (id quod ferè semper, nisi casus aut ictus interuenit, incidit) notas attendere oportet ei vicio peculiares. Tametsi sæpè cruẽta mictio calculum sola detexit, sine renum dolore, alioúe eius morbi indicio. Si rupta intus vena est, sanguis vbertim, & subitò, inopinanterque profluit: simul casus violentus antecessit, siue

ictus

ictus aliquis est, siue graue onus leuauit, siue ex alto cecidit, aut quid huiusmodi perpessus iniuriarum est. Rarior omnino ea sanguinis est mictio, quæ à renum pendet imbecillitate, vel quæ venarum in ijs adapertionem sequitur, vel iocinoris vim infirmam, vel consuetæ inanitionis defectū, vel vitam summi ocij compotem, vel membri alicuius amputationem. Non rarò cruor ab erosis exulceratisque renibus destillat, tumq; paulatim is, & cum pure aliquo mistus exit, idque diutius durat. Itaque cùm à rupto renum abscessu is etiam cum pure descendit, propterea ab vlcere renum non reddi intelligitur, quòd eius mictio non diu trahat: sed ferè intra tertium diem cesset. Sanguinem sæpius minxisse cum febre, & dolore, malum esse Hippocrati placuit: tum autem præsagire licet futuram puris mictionem, eodemque tempore febres dimissuras. At rarò cruorem cum vrina ferri, idque sine dolore, sine febre, non vsquequaque esse periculosum, idem autor iudicauit: quod per lassitudines ferè incidit, quæ inde protinus soluuntur.

Vrinæ fluor, qui Græcis διαβήτης appellatur, tum subesse dicitur, cùm potio non multo post, quàm sumpta est, nihil ferè demutata immodicè sub aquæ specie cruda meitur: ingens sitis continuo afficit, quæ potatione sedari nulla potest: quod bibitur sæpè, id maiore copia meiendo redditur, quàm qua sumpùt fuit. Itaque totū etiã corpus eo modo consumitur, ac veluti liquescit:

Vrinæ fluor &c p. 89

liquefcit:quanquam nonnullis lumbi,& coxę, & teſtes maximeque pedes leuiter intumeſcũt: viſceribus etiam aliquis ineſſe æſtus videtur.Id genus mali,vbi incidit, diuturnum eſt, & à renibus pendet.Cùm recens eſt curari,interdum poteſt,cùm in vetuſtatem incidit,nunquam poteſt:ſed corpus liquefacit, atque marcore conſumit. Idem vicium rariſſimum eſſe volunt. Nobis per omnem vitam non niſi ſemel apud Neruios, quum illic Medicinæ artem exercemus,obſeruatum fuit.

Prognos.

Renũ vulneratio.

Vulneratis renibus dolor ad inguina, & ad teſticulos deſcendit, & vrinæ difficultas eſt, eaque cruenta redditur: Interdũ ipſe etiam cruor fertur.

Tabes dorſalis.

Priuſquam veſicæ attingam vicia,tabem hoc loco dorſalem proponam.Graue genus morbi, quod noſtri homines non animaduerterunt, ipſe luculenter memoriæ prodidit Hippocrates: nos inter curationes ægrorum non ſemel obſeruauimus. In caput vehemens & acutus incidit dolor, ex eoque nonnullis ſupernè deſcendere veluti formicæ videntur.Dolet etiam collum,& lumbi, eorumque muſculi,& crurũ articuli,ſic vt inflecti interdum non poſſint: aluus pigra atque impedita nihil reddit, & vrina difficulter meitur: quum autem vel aluus, vel vrina redditur,profluit genitale ſemen multum ac liquidum,idemque fit per ſomnum,ſiue vtitur aliquis fœminæ conſuetudine, ſiue caret: ſemen etiam in vtero non manet:per vehemen

tes

tes itineris labores, maximeque si altior locus superandus est, corpus summè labefactatur, spiritus fit difficilis, caputque graue est, & aures sonant. Qui sic laborat, febre caret, &, quanquã nullo vrgetur cibi fastidio, eius tamen nullum fructum sentit, penitusque consumitur: idem incipiente morbo quietius sese atq; rectius habet. Quò autem magis is ipse morbus inueterascit, eò magis omnia homo dolet: & crura velut ab aqua inter cutem intumescunt: nonnullis vlcera à lumbis emergunt, quorum alia sanescunt, alia rursus enascuntur: tandem orta graui suffusione, homo penitus occæcatur. Exercet hic morbus præcipuè cùm recentes spontaneos, tum alios qui nimium Veneri indulserunt. Illud quoque à nonnullis obseruatum est, intermittere aliquando hoc vicium, & denuo redire consuesse: quod per septennia fieri quidã medicus, quem hoc affectum, occæcatumque morbo noui, tum in sese ipse, tum in plerisque alijs animaduertit.

Vesicæ calculus.

Graue inprimis tormentum calculi vesicæ est, quod & diu trahit, & quibusdam interualliis sæpius recurrit. Vbi id autem incubuit, grauitatis ingens sensus (si grandior calculus subest) magisque ad motum corporis, vel quædam quasi titillatio circa pubem & perinæum versatur: vrina cum mictionis assidua cupiditate difficulter redditur, fitque quoddam veluti stillicidium, sic vt vix posse cohiberi vrina videatur: quæ tamen, vt primũ cœpit perrumpere, quàm

mox

mox tota intercipitur, inciditque hoc modo interciſa mictio. Inter hæc dolor toto colis meatu verſatur, ſæpeque is ſola in glande eſt, poſt extremam mictionem grauiſſimus. Id tem poris aluus deijci velle videtur: promptius in nonnullis ſi recti ſunt, quàm ſi ſupini cubant, vrina exprimitur, vtique ſi grandior intus calculus hæret: alij inclinati emingunt, colemque contrectando atque extendendo remedium do loris quærunt. Fœminæ extrema pudenda manibus crebrò ſcabunt, &, admoto ad veſicæ cer-uicem digito, calculum ſubinde ſentiunt. Multi etiam medijs doloribus pedes inter ſe itera-tis vicibus implicant. Si vrina prodit, ea alba, craſſa, & turbida redditur, cui ſedimentum in-eſt purulentum, vel mucoſum: Interdum etiam ſanguis, aut quid cruentum concretum trahi-tur. Hoc genus morbi ſæpius pueris accidit, q̃ adultis: ſæpius viris quàm fœminis. Calculus veſicæ magis albicat, itemque grandior, & du-rior eſt, eo quem renes extuderunt. Minor fa-cilius in veſicæ impingit ceruicem, vrinamque pertinacius retinet, quàm is qui maior eſt: hic enim vel apto corporis poſitu, vel intromiſſo inſtrumento, inde non difficillimè depellitur. Non leue periculum in quouis calculo verti-tur. Immenſis enim fractus doloribus, & pro-pter obſtructũ iter ſuppreſſa nimium vrina ex-tingui homo poteſt. Haud rarò animaduerſum eſt, à veſicæ calculo data vel teneſmi, vel proci-dentis infimi inteſtini principia fuiſſe. Multos conſtat

constat esse repertos, qui sine dolore calculum diutissimè intus fouerunt.

Nullus æquè metuẽdus casus incidere in vesicam potest, vt inflammatio, quæ non in huius partis (vt fortè aliquis existimet) substantia: sed potius in ceruicis defigitur musculo. Febris acuta cum multo æstu mouetur: infrà perinæũ, suprà pecten, atque pubes latè dolent: interdum his locis rubor, ardor, atque distentio accedunt, quæ omnia à pube ad ipsum vsque peruenium vmbilicum: frequens desidendi cupiditas, summaque difficultas est: vrina ægerrimè excluditur, sæpè tota diutius cohibetur, maximeque cubante ægro: interdum guttatim maximo conatu destillat. His accedunt vigiliæ, delirium, vomitus bilios̃us, & extremorum frigus. Perrara est vesicæ inflammatio, pueris magis familiaris, à calculi scilicet tormento illatis iniurijs. Metum minuit vrina purulẽta, cui sedimentum album ac leue sit. Si dolores in hoc morbo non soluuntur, neque vesica mollescit, periculum est ægrum primis circuitibus moriturum. Nulla etiam euadendi spes est, vbi febris acuta diu immoratur, simulque vrina, & alui deiectio prorsus retinentur: aut vbi vrina nullam exhibet notam concoctionis, vnaque dolores magis indies ingraueſcunt. Inter quæ sæpè vltro lethalis oritur gangrena, ex qua vix vnquam quisquam euasit. Vbi suppurare malum incipit, (quod certè graue est) omnia fiunt atrociora. Quod si antè erũpere id, quàm

Vesicæ inflammatio.

pereat

pereat æger, contingit, dolores cæteraque mi-
teſcunt omnia, ipſaque vbertim vrina, cum pu-
re fertur. Viſus eſt hic abſceſſus viam ſibi per
perinæũ patefeciſſe, qua parte vrina elapſa per
anum omnis ferebatur.

Cruenta à veſica mictio.

Cum multis de cauſſis, tum maximè propter
vehemẽtes in excludendo calculo nixus cruor
è veſica ferri conſueuit: is vrinã non totam vn-
dique perfundit, & cùm per quietem ſubſedit,
concreuiſſe in grumum cernitur. eius ſubin-
de cruoris pars aliqua ſine vrinæ mictione ela-
bitur. Ferè autem ſub eo vicio vrina paulatim
veluti ſtillicidio quodam exprimitur, eademq; ;
dolorem exiens mouet, ac veluti colis radicem
adurit. Cæterùm grauiſſima quæque incidere
ſanguine intra veſicã concreto ſolent: nam cre-
brò anima deficit, ipſaque fit exigua ſpiratio, &
pulſus obſcurus, paruus, & frequens: oritur e-
tiam multa nauſea, animi anxietas, & frigidus
ſudor. Hinc totus homo fit imbecillus, & pal-
let, & extremis partibus refrigeſcit. Vt plurimũ
autem aliquis antè incubuit in veſicam violen-
tus caſus, quem aliquandiu ſanguinis ſecuta
mictio eſt, ſubitoque ſine certa cauſſa deſijt.
Tum verò ſubinde rigor incidit, cæteraq; pro-
tinus poſt hunc ſequũtur ſigna, quę modò pro-
poſuimus. Tardius cruenta mictio veſicæ affe-
ctu nata curatur, quàm quæ à ſuperioribus lo-
cis profecta eſt.

Veſicæ exulceratio.

Comprehenſis veſicæ malis, haud rarò eius
ſuccedit vlceratio: maior quidem atque gra-
uior

uior in ceruicis musculo, post abscessus ruptionem ab inflammatione relicti: leuior autem in vesicæ corpore, quàm fortè exulcerationem, vel acrior vrina, vel offendens calculus fecit. Si ex abscessu vlcus mansit, id cauum est ac sordidum, vnde aliàs sanies, aliàs multum fœtidi puris cũ vrina crassa fertur, in qua idipsum per quietem subsidet. Iam verò si interior vesicæ pellicula leuiter abraditur, crassa quoque vrina est, quæ exiguum modò puris, modò cruoris trahit: &, cùm paulò altius vlcus insedit, pelliculas, & furfuracea quædam ducit. Hæ pelliculæ magis crassæ, albæ, magnæque sunt, si vlcus in altiore vesica est: si iuxta vrinæ ductum atque fistulam, minus albæ, magisque tenues, & paruæ redduntur. Ingens in proposito casu mingendi cupiditas est, sic vt teneri vrina vix possit, tumq; grauis dolor pubem & perinæũ exercet, maximeque hic nouissimã sequitur emictionẽ. Idem etiam dolor vbi quis sese erigit, augetur. Quod si serpens fit vlcus atque depascens, aliquis etiam subinde cruor cum sanie, pureque fœtido in vrina cernitur. Sæpissimè quoque vlcere admodum sordido, maximè si à Venereo seminis profluuio id natum fuit, quædam veluti filamenta in vrina versantur, primùm tenuia, mox ita crassa, vt spissam quoque vrinam faciant: tandem crassus & viscidus veluti mucus, quale candidũ oui est, subsidet. Quæ proximè dixi filamenta, longo pòst tempore, quam vlcus curatum est, cum vrina feruntur.

Inter

Inter renum & veſicæ vlcera ſic diſtinguitur. Renibus ita affectis, non æquè difficulter vrina redditur, & quod ex his deteritur, rubet, ſeu tenues trahuntur carunculæ, ſeu filamenta capillis ſimilia: minor etiam incidit dolor, ſæpiusq; cruor, & maiore copia meitur, magisque toti vrinæ permiſtus eſt. At verò exulcerata veſica, maior fit vrinæ tum cupiditas, tum difficultas. Quicquid decedit, album eſt: (niſi id tamen à renibus huc deſcendit) dolores magis vrgent: minus ſanguinis, minusque vrinæ miſti fertur. Cæterùm ſi is vrinæ meatus, quem ὀυρητῆρα Græcis appellari dixi, exulceratur, vrina ſubcraſſa eſt, particeps modici cruoris, vel certè puris, quod capillorum ſpecie natat in vrina. Æquè etiam ſub hoc caſu pelliculæ, ac quædam quaſi furfuracea redduntur: ſed dolor inter renem, & pubem verſatur. Vlcera renum, aliorumque vrinæ itinerum promptiùs, quàm veſicæ ſanescunt. In ſenibus nullam penitus hæc ipſa curationem habent, in alijs ætatibus difficillimam.

Varia fieri noxa in reddenda vrina ſolet. Ea enim aut paulatim deſtillat, aut ſumma difficultate redditur, aut denique prorſus cohibetur. Primum Græci στραγγουρίαν, alterum δυσουρίαν, poſtremum ἰσχουρίαν nominauerunt. Priora duo leniora eſſe poſſunt. Tertium grauiſſimum, ac, ſi diutius immoratur, mortiferum eſt. Vbi ſuperioribus inhæreſcit vrinæ ductibus obſtructio, in lumbis doloris eſt aliquis vel grauitatis ſenſus, notæque affectorum renum antecedunt: veſica

Vrinæ retentio.

vesica inanis nihil vel dolet, vel tumet, neque quicquam vrinæ adhibito instrumento reddit, quare ne vllum quidem mictionis vrget desiderium. Contrà hoc ipsum maximum est, cum vesicæ obstructa ceruix vrinã impediuit, tumque pubes tota intumescit atque dolet, multumque vrinæ intromisso ferro prorumpit. Ad suppressam vrinam si tenesmus accedit, intra septimum diem occidit, nisi febris interuenerit, quæ liquefactione iter vrinæ expediat. Cæterùm in eo malo, quod δυσουρίαν vocari dixi, vrina difficulter, magnoque dolore redditur, idque interdum affatim, interdum paulatim. Stillicidium autem esse vrinæ dicitur, cùm ea guttatim semper conatu quodam, at dolore aliàs nullo, aliàs vehementi, exprimitur. Id vicium si dolore caret, retentioni vrinæ finitimũ est, sin minus, difficultati. Si vrinæ stillicidio voluulus accesserit, primis diebus septem hominẽ tollit, nisi febris quoque interuentu fluere vbertim vrina cœperit. Omnino autem id malum senibus diuturnum est, iunioribus breuius, neutris (nisi quid accedit) lethale. Quod si id à sanguinis grumo qui intus impegit, oritur, horrendum esse grauissimis casibus solet: nam natiuus homini color perit, pulsus fit paruus, & frequens, & languidus, idemque totus subinde concidit: accedit rigor, febricula, nausea, defectio animi, frigidi sudores, & id genus alia, quæ concreto intra vesicam sanguine fieri diximus. Porrò nonnunquam inuitis vrina sine

Vrinæ difficultas.

Vrinæ stillicidium.

Vrinæ incõtinentia. *p. 85.*

acrimoniæ & doloris ſenſu profluit, quod vicium in ſenibus curari non poteſt. Idem ſi per febres incidit acutas, viribus iam infirmis, peſtiferum eſt.

Veſicæ vulneratio.

Vbi veſicæ illatum vulnus eſt, dolent inguina, quæque iuxta pubem ſunt loca intenduntur. Ex vulnere vrina fertur, aut certè pro vrina ſanguis meitur. Accedit vomitio bilis, ſingultus, delirium, & horũ ſequax comes mors.

Obſeruationes in vicijs naturalium vtiles.

Profluuiũ ſeminis.

ſ. Gonorrhœa.

SEmper tædiorum, ſæpè etiam plenum periculorum vicium, humani ſeminis profluuium eſt, γονόῤῥοιαν id Græci vocant. Semen præter voluntatem, præterque modum, ſine pudendi tentigine, ſine Venere, aut noctur nis imaginibus elabitur: idque adeò interdum diu & impenſe fit, vt interpoſito ſpacio, hominem conſumat. Paulatim enim corpus labefit, cumque indies alijs id locis omnibus, tum maximè circa lũbos emacreſcit. Ipſum verò quod ita fertur ſemen, crudum, aquoſum, liquidum, tenue nec prorſus album eſt. Maximè autem id vicij eos adoriri ſolet, qui impuberem ætatem Venereis libidinibus corrupere. Idem noſtro ſeculo contagioſum eſſe cœpit, digniſſimũ ſcortatoribus flagellum, à quo recta ad morbũ Venereum via eſt. Sub eo caſu virus quoddam album aut ſubcitrinum per colem noctu atque interdiu latenter ſine ſenſu elabitur: id interpoſito

posito spacio admodum fit putre, atque acre, ideoque ipsum etiam intus exulcerat penem. Id verò iam factum esse dolor ostendit, qui colem cum is erigitur sic afficit, vt veluti fune sub stringi videatur. Idem dolor per mictionem maximè cum ea fieri, vel incipit, vel desinit, sese prodit, sit vt vel difficultas subesse vrinæ, vel calculus putetur. Is morbus tum viris accidit, tum fœminis: sed in his frequentius est, ægriusque quàm in illis tollitur. In eo autem, cum vterino conuenit fluore, quòd humor assiduè promanet: verùm dissidet contrà, quod multò hic sit crassior, quodque vix vnquam desit vlcus ab acri virulentoque natum excremento: adhæc quòd fusis menstruis, hæc ista fluxio nõ desinat, quum vteri fluor in ipsis menstruis, & paulò pòst cessare sit solitus.

Quo duis colis interioris vlcus diu trahere consueuit: interdum ita fit cauum, maximeque per Venereum seminis profluuium, vt foras etiam ad ipsam vsque penetret, emergatque cutem. Si id vlcus negligitur, non rarò carnosum tuberculum vrinæ ductui innascitur, itemque ex aggestis sordibus quidam veluti callus verrucæ similis: tum vrina vel retinetur, vel non pleno impetu fertur, ipseque homo sic ad omnem corporis positum vrgetur: compresso pene, itemque intromisso instrumento tuberculum depræhenditur.

Est etiam in cole vicium, quo is continenter erigitur cum lasciua quadam palpitatione, mul

Σατυρίασις, καὶ πριαπισμός.

taque opinione libidinis, σατυρίασιν Græci nominauerunt. Est & eius penè generis aliud, quod πριαπισμόν vocant: in eo arrectum assiduè pudendum sine Veneris desiderio, præter naturam increscit, quodam quasi tetano distentum. Raro id malum incidit, quo tolli etiam hominem posse nonnullis placere video.

Ramex.

Proximum est scroti vicia proponere, in quibus inflammatio est, & sine hac durus tumor, maximeque ramex, quem Græci κήλην, nostri etiam Herinam vocant. Eius multæ formæ, multæque esse causſæ possunt. Quum rumpitur aut etiam relaxatur ea tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus intestina debuit, Græcisque περιτόναιος appellata est, protinus deuoluitur, aut omentum, aut intestinum, ac sensim ab inguine (nisi in eo tamē immoratur vicium- que τῆς βουβωνοκήλης gignit) in scroti demittitur sinum. Commune est euidentem in scroto, vel in inguine tumorem, eumque non permanentem esse, sed cursu, labore, satietate, & retento spiritu crescere: iterumque resupino homine, vel sponte, vel per lenem digitorum impulsum eò quod intus est remeante, perire. Si id quod descendit, omentum est, ægerrimè intrò reuertit, siue inedia fuerit, siue varius corporis positus, atque figura: vbi verò remeat, id penitus sine murmure fit. Idem hic tumor si tangitur, inæqualis est, & mollis, & lubricus. Græci id genus ἐπιπλοκήλην, nos Ramicem omenti nuncupamus. Quod si intestinum illapsum scroto est quod

quod vicium ἐντεροκήλην, id eſt Herniam inteſtinorum appellãt, tumor ſine dolore, ſine inflammatione modò minuitur, modò creſcit, idemque quieſcente homine aut etiam vigili, ſed tamen diutius reſupino, interdum ex toto perit: verùm clamore, ſatietate, violentoque corporis motu, propterúe graue tollendum pondus nixu creſcit, frigore omni contrahitur, calore laxatur. Id temporis rotundum eſt ſcrotum & tactu læue. Quod intus eſt, vbi premitur, lubricum eſt, & modò ſpontè, modò ſi leniter digito impellitur, quodam veluti rugitu ac flatulento murmure recurrit. Vbi graue id vicium fit, inteſtinum accepto ſtercore vaſtius tumet, ſic vt retro cõpelli non poſſit, ex quo caſu grauis oritur voluulus, qui tollere etiam hominem ſolet. Inter quæ dolores magni, & ſcroto, & inguinibus & abdomini accidunt. Incipit ſubinde affici ſtomachus, ſequiturque bilis vomitus, primum ruffæ, dein viridis, ac interdum ipſius etiam atræ. Cæterùm ſit ne ex ruptione eius, quam dixi membranæ Ramex ortus, an verò ex laxatione, certis internoſci notis poteſt. Nam ſi inteſtinum ab initio protinus, atque vniuerſim deuoluitur, prægreſſa ſola violenta cauſſa, tumorque prægrandis eſt, & minus æqualis: &, vbi ſupinus homo eſt, ſi compreſſum inteſtinum multo rugitu ſurſum recurrit, iterumque recto corpore protinus, vel tuſſi, vel retento ſpiritu delabitur, ſcire licet factam ruptionem eſſe. At laxationis hæ notæ ſunt. Lon-

Notæ rupti peritonæi

Notæ relaxati peritonæi

giore temporis tractu inteſtinum paulatim magis magisque quamlibet ob cauſſam deſcendit, tumor æquabilior & magis eſſe in profundo deprehenditur, neque aliquo murmure id quod deſcendit recurrit, neque ita facilè vbi erectus homo eſt, elabitur. Quinetiam ramex ex laxatione, vix vnquam extra inguina procedit: ex ruptione autem, propè ſemper in ipſum promouetur ſcrotum. Ramex ex ruptione per initia, primis fortè ſeptem diebus, non difficillimè tollitur, maximeque in pueris: vbi inueterauit, vix vnquam curari, niſi manu, poteſt. Quod tamen auxilium anceps, & plenum periculorum eſt. Porrò ſcire licet, interdum ſimul, & omentum, & inteſtinum poſſe deſcendere, quod vicium Græci ἐπιπλοέντεροκήλην, id eſt, Ramicem omenti, atque inteſtini vocauerunt. Iam verò ſine peritonæi offenſa aliqua, ſcroto accidere alia genera ramicis ſolent. Nam interdum aquoſus humor intus collectus, interdum caro increſcēs, nec rarò varicoſus tumor cauſſam morbi huius dedit. Cum aqua ſubeſt (quod vicium Græcis ὑδροκήλη, nobis aquoſus ramex dicitur) tumor, quantum in ſe eſt, dolore omni caret, & firmus in intento ſcroto inhæreſcit, fame quidem, aut febricula, aut etiam de die, maximeque in pueris vtcunque extenuatur, at nunquam ex toto tollitur. Idem tactui cedit, ſi paucior intus humor eſt: verùm vbi is multum creuit, æquè vt vter repletus, & ſtrictus digito renititur, & oppoſito lumine, vt cornu, pellucet. Quòd ſi in vtra-

in vtraque parte ſcroti, hæc ipſa quæ proponimus, cernuntur, conſtat vtique duplicem ibi ramicem aquoſum eſſe. Vbi diutius retenta intus aqua vehementer cõputruit, ipſum etiam ſubinde corrumpit teſticulum. Inſidiatur autem magis hoc genus ramicis ijs corporibus, quorum ſucci non boni ſunt, (Græci hæc κακοχυμικὰ nominauerunt) & his etiam multo magis, quæ in hydropem inclinant. Quare extracto per ferri vſum humore, facilè nouus denuo ingeneratur, niſi toti quoque corpori adhibita curatio eſt. Ad hanc ramicis aquoſi ſpeciem non alienum ſit, hunc quoque referre, qui ex flatibus ortus, nimia diſtentione grauem dolorem mouet, Flatulentum appellari eum à quibuſdam video. Rarò quidem, ſed aliquando tamen dura caro intra teſtium tunicas increſcit, idque vicium græcè σαρκοκήλη, id eſt carnoſus ramex dicitur: cuius tumor etiam perpetuus, vt in ſuperiore eſt, ſed pondere grauior, itemque durior, obſcurior, coloris vbique eiuſdem, neque pulſatus reſonat, idemque longiore ſpacio temporis paulatim increuit. Supereſt modò ramex varicoſus, qui græcè κιρσοκήλη dicitur, durus, & ad modum virgarum oblongus tumor, quem ſcire licet ægerrimè tolli remedijs poſſe.

Flatulentus *Carnoſus* *Varicoſus*

Inflammatione etiam affici nõnunquam teſticulus ſolet: tumque acutus dolor, rubor, calor, atque durus tumor ſubeſt: eaque omnia magis ſeſe foris produnt, ſi inflammatio in ſcrotum effunditur: obſcuriora autem ſunt, magis-

Teſticuli inflammatio

gisque tangendo, quàm intuendo explorantur, si vicium solum occupãs testem in profundo occulitur. Prout autem grauis est inflammatio, febris etiam modò est aliqua, modó nulla. Post malè curatum morbum, durus sæpè manet tumor sine dolore, sine calore, atque rubore, qui tumor nunquam ferè auferri ex toto potest.

Vteri inflã matio.

Proximum est ad vteri morbos transire, qui & varij esse, & pleni tædio periculisque solent. Grauissimum eius malum inflammatio est, ea quidem quæ totum vterum, non autem solam (quod sæpius fit) eius ceruicem occupat. Vehemens dolor atque pulsans locum vrget: isq; si anteriora vteri magis afficiuntur, ad pubem peruenit, & vrinæ difficultatem aliquam, vel stillicidium parit: si posteriora magis inflammantur, aluus cohibetur, & dolor lumbos fatigat. Iam si in latere plus vicij est, protinus inguen intenditur, cruraq; grauia difficulter moueutur. Semper autem, acuta febris inest, & multus capitis dolor, magisque anteriore eius parte, & circa radices oculorum. Dolent quoque cum distentione atque grauitate imus venter, pubes, coxæ, vicinæque his id genus partes. Lumbis etiam multus infestus ardor est. Incipit affici stomachus, doloreque & nausea, & singultu sollicitari. Ipsa autem fœmina adeò parum commodè in omnem partem corporis mouetur, vt non sedere, non surgere, nisi summa difficultate, non pedibus ingredi, nisi quadam

dam claudicatione possit. Eadem molestè in id latus cubat, quod morbo caret. Porrò si vteri ceruix inflammationem sustinet, id quod frequentius fieri dixi, abdomen dolet, ipsumque vteri os, admoto digito, durum occurrit, feruidum, atque præclusum. Atque is sanè casus reperire aliquam curandi viam potest: prior ferè nullam potest. Nonnunquam vteri inflammatio in durum, sensuque carentem tumorem desciscit: rarius in cancrum: sæpius in abscessum: qui, simul atque fieri incipit, pulsantem dolorem atque febres exauget, hæque cum horrore crebrò sunt, & nullo ordine exasperantur. Confecto pure, protinus hæc ista paulùm mitescũt, iterumque cùm abscessus rumpitur, increscũt: ac tum quidem aliàs vrina cohibetur, aliàs aluus: interdum tumor iuxta pubem attollitur, & quasi inundatio profluẽtis rei alicuius intus sentitur. Id temporis pus erumpit, aliàs in vteri cauum, aliàs in abdominis spacium, ibique inter intestina subsistens, copia imum ventrem distendit, ac veluti pondere onerat. Quod autem pus per vteri ceruicem foràs excluditur, id si album est, leue, æquale, & odoris non mali, sanitas fœminæ redditur: si verò virulentum est, malè olens, & multis coloribus variegatũ, scire licet rem in periculo esse. Rupto atque exinanito abscessu, sordidum vlcus manet: sub quo acer mordaxque oritur dolor, sanies, & colluuies fertur, non eadem vsque copia, substantia, atque colore: odor huic modò grauis adest, mo-

Vteri exulceratio.

modò etiam nullus, ſic vt ab albo vteri fluore, id quod ita exit, profectum eſſe credatur. Si in vteri ceruice malum inhæreſcit, ipſo etiam deprehendi tactu poteſt: ſin altius inſedit, eorum quæ efferuntur vtendum nota eſt. Ergo vbi ſim plex vlcus nòn à rupto natum abſceſſu, interiorem vteri, aut eius ceruicis pelliculam abraſit, aut modicè excauauit, humor paucus, æqualis, craſſus, albicans, excernitur. Quod autem vlcus è rupto abſceſſu ſordidum eſt, plus quidem humoris fundit, at minore dolore. Vteri vlcus ita interdum malignum fit, vt ſerpendo proxima quæque loca eroſione violet. Id Græci νομὴν appellauerunt, eſtque hoc tum multò magis ſordidum, fœtidum, ac rebelle, quàm prius fuit. Tum ſub hoc caſu, tum ſub duro, longoque vteri tumore procliuis eſſe cancer ſolet. Dolor eo tempore circa inguina, & imum ventrem, & abdomen, & lumbos verſatur: moles intus gra uis eſſe quaſi pondus aliquod videtur, iungiturque febris, non æquè tamen ardens ea, vt in vteri inflammatione: ipſum deniq; malum maximè diuturnum eſt. Quum exulceratio quoque cancro acceſſit, vlcus, præterquam quòd dolet & durum eſt, etiam labris eſt prętumidis, & ex concreta ſorde liuidis atque horridis. Quod ex eo manat, id graueolentiſſimum eſt, tenue, nigrum, vel etiam fuluum. Hoc genus vicij, vel ipſo iudice Hippocrate, inanem omnem medicinam experitur.

Interdum ex inflammatione neque reſolutæ, ne-

que in abſceſſum verſa, itemque alijs de cauſſis durus naſci vteri tumor poteſt: idque modo tutius huius, modò alicuius in eo partis. Is tumor tactu durus, atque renitens deprehenditur, cui nullus aut certè obſcurus ineſt dolor, ſed difficulter vel vrina, vel aluus redditur: & vbi recta fœmina eſt, graue pondus pudenda vrget, quaſi foras prolapſurum: totum corpus fit impotens, ægreque mobile, maximè inferioribus eius partibus, ſic vt difficilis admodum hoc nomine omnis inceſſus ſit: nonnunquam venter inflatur, & ſpeciem hydropis (qui ſubinde tamen ſequitur) præbet.

Vteri durus ſine dolore tumor

Vterus quoque certis de cauſſis inflatur, id quod duraſſe nonnullis per omnem vitam obſeruatum eſt. Venter imus ingentem tumorem habet, & tenditur, & dolore vrgetur: hic dolor ad ſeptum vſque tranſuerſum, & ad ſtomachũ peruenit. Idem latera etiam vtrinque perſtringit, ſæpeque alterum inguen, interdum vtrunque: adhæc vmbilicum, lumbos, pectinem, ipſumque ſubinde afficit per conſenſum caput. Non rarò flatum manifeſtò, elidi per naturalia fœminarum contingit, itemque murmura intus, ſtrepitusque, vbi corpus flectitur, exaudiri ſimiles omnino his ſonis, qui cieri ſub torminibus ſolent. Ipſe autem venter digito percuſſus, tanquam tympani ſonum ædit, vtique ſi capax vteri ſpacium flatus impleuere. Quod ſi is ipſe rarioribus ſubſtantiæ meatibus inhęreſcit, dolores mouet longè atrociſſimos, & ægrius reme-

Vteri inflatio.

remedijs tollitur. Solet hic morbus puerperas magna ex parte tentare, non ſine magno periculi metu.

Vteri hydrops. Eſt etiam aliquis vteri hydrops, tota eius capacitate aquarum plena. Venter inflatur, magnamque grauitatem, & conuerſus in aliquam partem ſonum fluctuantis intus humoris exhibet. Eum humorem quibuſdam ex vtero ſingulis menſibus, nullo vitę incommodo eſſe expurgatum, doctorum hominum conſtat animaduerſione.

Mola. Sequitur modò id vteri vicium, quod Græcis μύλη, id eſt mola, appellatur, quodque nulli accidere fœminæ ſine viri conſuetudine poteſt. Informis in vtero conſiſtit caro, cute, vel membranis circundata, venasque intus multas habet, ſine viſceribus tamen, ſine inteſtinis, atque oſſibus. Ea caro, aſſumpto per venas ſuas alimento indies creſcendo, vterum omnem ingenti mole implet, vt vel octimeſtris etiã ſubeſſe partus exiſtimetur. Hæc verò moles non ſæpè per omnem vitam intus tutò manet: paucis etiam quarto anno, aut quinto excidit: plerisq; omnibus tertio quartoue excluditur menſe, ſpemque prægnationis omnem falsò conceptam ludit. Siquidem in hoc vicio, menſtrua retinentur, mammæ intumeſcunt, vrget cibi faſtidium, facies decolor eſt, venterq; indies magis ac magis grandeſcit. Verùm vt his notis imprægnationi conſentit: ſic rurſus ab ea diſtat, quòd durior hic eſt tumor, & quod nullo id

quod

quod intus est motu proprio cieatur, sed stabile inhæresçat, grauitate fixum sua, neque vnquã nisi vbi vel premitur, vel vbi sese fœmina in latus conuertit, moueatur. Tum enim, non vt fœtus leni blandoq́; impulsu, sed impetu quodam, in quam partem corpus inclinat, prouoluitur. Quinetiam subinde informis hæc caro, aut multus sanguis cum humoribus intus cumulatis, nec rarò etiam flatus excluditur. Quibusdam quales inter pariendum esse solent dolores atque pressiones, ab eo, quem dixi, flatu oriuntur. Omnibus autem inter hæc corpus extenuatur: incessus fit difficilis, sic vt propendere pondus aliquod ex vtero videatur: tandẽ verò, cùm iecur quoque vnà iam affici cœperit, ipse sequitur hydrops. Mola omnis, nisi inter initia curatur, ægerrimè tolli potest. Quum menses sine certis imprægnationis notis retinentur, simulque venter sine hydrope intumescit: scire licet aliquid in vtero, quod præter naturam sit, inesse, irritum videlicet conceptum, vel molam, vel flatum.

Vteri ascensus atque descensus. Vterus etiam ferri è sua sede potest, isque modò ascendere, modò descendere, vel prolabi, & interdum in alterutrum latus inclinare. Ascensio adeò in quibusdam vehemens est, vt ad ventriculum etiam, vterus velut globus, aliquis efferatur, eumque grauiter premat, indeque manu depelli suum in locum possit. Vbi id vicium incidit: fœmina præcordijs dolet, & spirandi vrgetur difficultate, & animi defectione, idque

idque illæsa penitusque incolumi mente. Vbi autem descendere incipit vterus: mulier, si recta est, grauem in pudendum molem sentit incumbere, quæ digito etiam explorari, tangiq; quoniam pudēdo occurrit, potest: si supina est, vel aluum deijcit, rectum vrgeri intestinum sentit: si prona, difficulter meit. Idem morbus longè grauior redditur, cùm euersus vterus (quod tamen rarius incidit) foràs prouoluitur. Quo tempore ingēs dolor pectinem fatigat, oriturq; subinde neruorum distentio atque tremor. Vteri fundū magnitudine oui anserini aut struthioca meli foris prominet admisso digito obuius. Is si sic diu persistit, vix vllum auxilium periculo fœminam subtrahit. Iam verò si conuulsus vterus in inguen dextrum vel sinistrum contorquetur, crus totum maximeque femur torporem atque frigus habet, inguen, & interdum coxendix graui dolore conflictantur. Is dolor vehementius increscens, neruorum infert distentionem, & quendam (vt vocant) vteri furorem.

Vteri conuulsio.

Haud leue vicium est ab vtero factus strangulatus, qui Græcis πνιγὸς ὑστερικὸς vocatur. Eo incipiente nausea multa fit, fereque sine vomitu: sequitur cibi fastidium, cùm ventris quodam rugitu tametsi hic iste non semper comitatur: post hæc incipit esse difficilis spiritus, creber, ac breuis: idemque post paulum ita arctatur, vt veluti vinculo præstrictæ fauces videantur, magno metu præfocationis: inter quæ leuiter ani-

Vterinus strangulatus.

anima deficit,ex qua tamen re vix pulſus immutatur. Tandem verò incipit affici caput mentis ſedes,quæ tum iracundia,tum metu,ſimilibusque paſſionibus turbatur. Sæpius autem altus incidit quaſi ſopor, ſub quo obmuteſcit fœmina, totaque palleſcens atque oculis clauſis corruit,ac veluti attonita iacet, ſenſus, motusque expers,ſic vt comitiali morbo videatur proſtrata.Spiritus huic ſummè paruus,rarus,& obſcurus eſt,adeò, vt vix ſupereſſe vllus credatur: pariterque ipſe propè concidit pulſus, tametſi etiam is (vbi leuius malum eſt) interdum conſtet : cùm remittit acceſſio, vterus paulatim laxatur, & humoris quippiam emittit, tum obmurmurant inteſtina : oculi aperiuntur : malæ rubeſcunt:protinusque mens,ſenſus,ac motus fœminæ redeunt:ſic vt eorum quæ inciderunt, penè omnium ſuppetat memoria. Differt hoc iſtud vicium à morbo comitiali, quoniam neque oculi vertuntur, neque ſpuma ex ore mouetur,neque admodum nerui diſtenduntur.

Strangulatus cauſſa vteri genitus, multis crebrò reuertens perpetuus eſt : alijs protinus in ipſa eſt acceſſione,aut paucis poſt eam horis lethalis:quo tempore hæc ferè comitantur. Diu immoratur acceſſio : fit ſummè ſpiritus difficilis,pulſusque creber,& ordinis expers, tametſi is interdum totus etiam aboletur:perit inſuper ſenſus & motus : ſummum corpus frigido ſudore imbuitur : poſt quæ ſyncope incumbit,& mors.Minus graue vicium eſt,in quo hæc quæ

pro-

propoſuimus inſunt omnia, ſolo illæſo ſpiritu. Eò rurſus minus graue, in quo ſenſus etiam, motioque, non tantum ſpiratio integritatem habet, cætera aſſunt. Morbus hic quibuſdam interuallis quaſi circuitibus vt comitialis mouetur, inciditque magis hyeme atque autumno, maximè calidis atq; humidis puellis, ac viduis etiam quæ præter morem cõſuetudine viri diu caruere: itemque his etiam fœminis, quibus ſterilitatem medicamenta, non ætas, conciliauerunt.

Menſtrua. Proximum nunc eſt ad eas obſeruationes, quæ de menſtruis haberi poſſunt, tranſire. Ergo vbi hæc opportunè iuſto modo, & æqualis, boniq; coloris ſingulis temporibus, & ijſdem propè menſium diebus ferũtur, optima, ac pro natura eſſe putandum eſt. Hiſce autem erumpentibus horrores incidunt, & laſſitudines, & capitis grauitates, & colli dolores. At verò periculum grauiſſimorum afferunt morborũ, quę nimium vel cohibentur, vel profluunt. Neque enim illud ab Hippocrate dictũ ratione caret: vtrisque his, quarum menſtrua plus iuſto vel retinentur, vel fluunt, ab vtero morbos fieri. Vbi

Menſtruaorũ retẽtio. præter modum, præterque ætatem retinentur, totum corpus ſit graue, doletque caput cum grauitate, præcipuè anteriore parte: hic dolor ad ceruices etiam peruenit, ad ſcapulas, ad lumbos, & ad fundamenta oculorum. Sæpè fœmina, ac ſi concepiſſet, inhorreſcit, ſæpiſſimè nauſeat, ac cibum faſtidit: nec rarò etiam febricula

vrge-

vrgetur: ipsa tota tristis, & inquieta est, subindeque viri consuetudinem concupiscit: vrina crassa est, turbida, rubicunda, & interdum nigricans. Longa menstruorum retentio, grauissimarum fomes ægritudinũ est: vt furoris, melancholiæ, morbi comitialis, resolutionis neruorum, caliginis oculorum, tussis, difficilis spirationis, præfocationis, duri viscerum tumoris, hydropis, podagræ, tremoris cordis, syncope, & huiusmodi. Quæ fœmina lac habet, si neque peperit nuper, neque grauida est, ea à menstruis defecta est: tum verò necesse est, si ea diu sic manet, acerbissimos in capite dolores fieri, vel morbo aliam quampiam partem infestari. Quod si inter hæc sanguis è naribus fertur, res omnis in tuto est. Quæ fœmina non peperit, grauius & citius retentione laborat menstruorum, quàm ea, quæ peperit: in hac enim venæ magis ad hanc fluxionem patent, in illa minus.

Menstruorum fluor nimius.

Æquè horrendum est, nimiũ menstrua fluere cœpisse, ex quo totum fit infirmum corpus, eiusque color viciatur: labascit ciborum cupiditas, atque concoctio: crebri oriuntur febriles ardores, nouissimè pedes molli tumore inflantur, indeque reliquum corpus, ex quo ipsa gignitur inter cutem aqua. Hoc genus fluxionis, si ob partum grandiorẽ incidit, ferè tutum esse, ac suapte cessare sponte solet. Cùm abortum sequitur, exanimare etiam fœminam, & præceps afferre exitium potest. Si rupta aut patefacta intus grandior vena est, cruor profusè effluit.

fluit. Si minor vena fuit, paulatim is ipse nec multus fertur. Vbi autem erosio venam afficit, non solum paulatim sanguis manat, verumetiã cum sensu doloris. Menstrua humidioribus fœminis diutius durant, citoque hæ, nisi illa profluunt, intumescunt.

Fluor muliebris.

Huic fluori is quodammodo affinis videatur, quem Latini muliebrẽ, Græci ῥοῦν γυναικεῖον dicunt. In eo tamen non purus fertur sanguis, sed quid corruptum, idque assiduè, nulloue certo vel ordine, vel circuitu. Quod promanat, aliàs liquidum est cremori simile, aliàs citrinũ, aut pallidum, idemque acre, atque mordax, cui modò nullus odor, modò grauis adest: vtrique autem vicio commune est, locos humoribus madescere, fœminam decolorem fieri, eamque neque appetere cibum, neq; eius fructum sentire, oculosque (vbi fluor inueterauit) habere prætumidos, ac difficulter spirare. Vteri fluor non solum ætate maturas, verumetiam virgunculas afficit iuniores, quas esse fœdas tristis pallor facit.

S. Fluor albus

Impregnationis impedimẽta.

Vltimo hoc loco ea iam proponenda animaduersio est, quæ de abortu, atque incommodo haberi partu potest. Sed prius quædam de conceptione dicere non alienum est. Primum itaque scire licet, non concipere fœminam posse, cui nimium frigidus ac densus est vterus, in quo nimirum viri semen extinguitur, nec etiã, cui is ipse præsiccus atque calens est: nam semẽ deficiente nutrimento, corrumpitur. Nec cui

præter

præter naturam crassæ os vteri ab omento com primitur, nec cui nimis tenue corpus atque ma crum est. Si finitis menstruis os vteri non sic catur, sed humectum manet, signum est, con ceptionem fieri nondum potuisse. Quæ fœmi na concepisse se rata, non concepit, & per mul tos fallitur menses, menstruis iam tum cessan tibus, simulque ventre augescente: ea caput do let & præcordia, neque lac, nisi modicum, & id aquosum habet. Verùm quæ concepit, ea his doloribus (nisi si familiares sunt) caret, & lac non improbum habet. Fœcunda mulier sanita te vtitur firmiore, at citius est anus: sterilis au tem diutius iuuentę decorum seruat, at non fir mæ valetudinis est. Concepisse autem fœminã hinc scire licet, cùm ea simul cum viro aut pau lò pòst magna voluptate semen emittit, idque intus cum eo quod viri est retinet, sic vt mulie bres minimè madescant loci. Tum horrore mu lier eo ipso afficitur cute, ac veluti quadam titil latione contrahi vterum sentit: cuius deinde os ita clauditur, vt ne specilli summã admittat a ciem: idemque interposito tempore, interius retrahitur, vt vix explorari digito obstetricis possit. Inter hæc, menstrua compressa sunt, nisi si primis aut nouissimis mensibus, non ex ipso quidem vtero, sed ex ijs quæ ad ceruicem eius pertinent, venis, (vt in virginibus fit) sanguis nullo fœtus incõmodo feratur. Post hæc mam mæ grandescunt, latera, lumbique exporrigun tur, ac venter totus sine vllo molesti ponderis

Impræg nationis notæ

ſenſu intumeſcit: vt hoc quoque diſcrimine, tum à mola, tum ab vteri hydrope verus differre conceptus poſſit. Per hæc tempora frons interdum maculis fœdatur, vel citrinis, vel liuidis, ipſéque oculorum ambitus aſpectu languido aqueum liuorem exhibet: vrina citrea eſt aut ſubliuida, itemque craſſa ac turbida, quæ leui concuſſione bullat, vel granula è ſumma corona demittit: huius ſedimentum craſſum eſt, atque inſtar carptæ lanę non bene iunctum: eadem vrina ſi vinũ album accepit, ſimilis fit iuſculo coctarum fabarum. Tandem verò fœtus moueri incipit, certiſſimum ſui præbens indicium: id quod alijs citius, alijs tardius, pleriſque omnibus media impręgnatione contingit. Atque hæ concepti fœtus certæ notæ ſunt, qui, priuſquam abſoluatur, ædaturque in lucem, multis ſollicitare incommodis matrem poteſt. Ea enim ſi alicui opportuna morbo, aut humorum vicio antè fuit: id ſecundo, tertioue menſe ſentire incipit. Itaque tum tota ea laſſa redditur, lumborumque, & inguinum, & fœmorũ dolorem, grauitatemque patitur, ac graui ſomno per diem vrgetur. Inter hæc cibi appetitur cupiditas, fitque ingens nauſea, quæ modò irrita eſt, modò bilis vel pituitæ vomitum citat. Hic ipſe ſi non ſequitur vomitus, fit protinus difficilis ſpiratio, & vertigo, animique tum anxietas, tum leuis defectio: interdum etiam abſurda oritur rerum alienarum appetitio, vt terræ, carbonum, teſtarum, & huiuſmodi. Sed

Prægnantium incõmoda.

perire

perire hæc omnia post quartum aut quintum prægnationis mensem consueuerunt. Cæterùm vbi iam grauida esse fœmina cœpit, si subitò mammæ emacrescunt, abortus periculum significatur. Si cùm eadem gemellos fert, altera mamma extenuatur, alterum abortit: marem quidem, si dextra emacruit: fœmellam autem, si siniſtra. Hac enim parte magis fœmellæ, illa potius mares gestantur. Æquè magnum abortus periculum est, mulierem vtero ferentem acuto morbo rapi, aut sanguine per incisam venam inaniri, aut potentibus medicamentis perpurgari: vtiq; si longo iam spacio grandior reditus fœtus est. Quinetiam sine medicina partum elidere cita aluus potest. Prægnantibus hæmorrhois, valde malum: Erysipelas in vtero, pernicioſum: lac etiam vbi è mammis profluit, præcipueque aquoſum: imbecillum esse arguit quod prægnans intus gerit. Duræ mammæ, incolume id esse testantur. Si grauidæ menstrua solito more fluunt, sanus esse fœtus non potest. Si febribus eadem conflictatur, aut vehementer sine cauſſa manifesta emacrescit, magno negocio periculoque parit: aut certè abortiens, in discrimine versatur. Ferè autem præter naturã tenuis tantisper abortit, donec facta sit habitior. Quæ autem mediocriter corpulenta secundo aut tertio imprægnationis mense sine euidenti occasione abortit, huic acetabula (Græci κοτυληδόνας vocant) plena lentoris sunt: sic vt fœtum continere nequeant pondere grauem suo.

Quicunque autem prægnanti inciderit casus, spem securitatis amittere non oportet, mammis nondum gracilescentibus. Cæterùm si fœtus vita caret, nullus intus motus est, qui antè frequens fuit: venter grauis est, & quasi procidere velle videtur, nihiloque secius ac si hydrope vrgeretur, intumescit, distenditurque, & cadaueris pondere oneratur: idem simulque latera refrigescunt, quæ antè caluerant: ingens dolor circa vmbilicum versatur: stomachus mordetur: spiritus malè olet: oculi minuuntur dolentque: nares atque aures frigidæ fiunt: totus vultus prauo colore fœdatur: ipsa mulier crebrò inhorrescit, & in animi labitur defectionē: interdū conuulsionibus quasi comitialibus distenditur: ferè autem semper graui vigilia vrgetur. Porrò futuri abortus hæc signa traduntur. Mammæ sponte extenuantur, aut ex his lac aquosum fertur: lateraque superusque venter arctantur: lumbi, coxæque grauitatem insolitam habet, & pigrè mouentur: fœtus si vitam habet, vix mouetur: postremò aqua profluit sanguinea, tenuis, dein sanguinea, post quam ipse sanguis hinc grumus, atque tum protinus fœtus excluditur. Cæterùm quum hoc ipso incolumi partus incidit tempestiuus: plus laboris esse solet in pingui muliere, quam in tenui: plus in puella ædenda, quàm in masculo. Ferè etiam plus negocij abortus, quàm maturus partus exhibet. Præsagire autem difficilem partum licet, si totus ante fœtum aquosus humor effluit: aut longa

Signa emortui in vtero fœtus

Abortus præsagia.

Difficilis partus nota.

longa, copiosaque sanguinis eruptio antecessit: si ipsa fœmina crebrò inhorrescit, & languidiore dolore, perque longiora interualla vrgetur. Rectè enim Hippocrates iudicauit, partus sine debito dolore periculosos esse. Vbi mulier à partu haud commodè purgata est: venter, & interdum crura tument dolor, atque rigor lumbos, atque imum ventrem occupat: fitque interdum animi defectio. Quod si ex partu febris cum ingenti continuoque dolore capitis infestat, scire licet in magno rem metu esse.

Vteri vulneratio.

Vbi vterus vulnere percussus est: inguina dolent, & coxæ, & fœmora: sanguis partim ex plaga, partim obscœnis locis effertur, sequiturque bilis vomitus: Nouissimè, vbi in propinquo exitium est, eadem quæ corde vulneratis solent accidere, sequuntur.

Obseruationes in vicijs articulorum vtiles.

Morbus articularis.

MOrbus articularis græcè ἀρθρῖτις appellatus, (sub quo nomine ποδάγραν, χειράγραν, & ἰσχιάδα compræhendimus) diu trahere, & per interualla recurrens, grauibus tormentis dolorum afficere hominem solet: neque vllus ferè morbus est, qui magis à parentibus trahatur. Is ipse interdum repente in omnes irruit articulos: sæpius paulatim accedit, oriturque leuis chiragra, vel etiam podagra, maximeque calidioris naturæ hominibus: sic, vt hunc dolorem nemo nisi expertus, morbi esse

bi esse articularis crederet. Ab his partibus, multo spacio dolor ad cæteros articulos irrepit quibus ex more esse infestus solet. Quinetiam cùm malum inualuit, vertebræ quæ in spina sunt, afficiuntur, genæque dolent, atque ipsum interdum guttur, nec vlla ferè ossium connexio huius expers cruciatus est. Quæ pars huic vicio patet; ex leui occasione fatigata, æquè frigido, calidoque offenditur. Hic autem morbus, vbi ad senectutem vsque inueterauit, aut certè in ea esse cœpit, itemque vbi extra hanc ætatem callum contraxit, nunquam ex toto sanatur. Dum callum dico, nodosam illam intelligo arthritidem, sub qua diducuntur articuli, distorquenturq; , & motu pereũte curui fiunt. Iuueni autem semper facilius succurritur, si amans laboris est, & accuratè victitat, & facilem aluum habet: præcipuè, si quæ morbum fecit materia, non ex diuersis mista humoribus est. Quæ omnia tamen sic spem faciunt, vt interea nondum aliquis contractus sit callus. Nihil æquè propemodũ hoc morbo affectos adiuvat, atque tormina, vel quocunque modo fluens aluus. Nihil penè grauius est vino, atque Venere, si modo carent. Propter febrem quoque, & fieri vicia articulorum, & sanari possunt. Salutiferum in his signum est varices nasci, aut vrinam crassam & multam esse. Atque hæc quidem communia sunt: nunc illa, quę magis propria, cuique vicio censentur, sequar. Χειράγρα in manu est, eiusq; vel carpum affligit, vel partem

Χειράγρα

tem externam, vel articulos ac vincula digitorum: circum sæpè tumor, rubor, calor, pulsansque dolor est. ποδάγρα autem pedes infestat, ingeritque tormentum, vel malleolis, vel plantæ, præcipueque pollicis articulo: eademque hic, quæ in priore inesse vicio diximus, sequuntur. Podagra rarò castratos, vel pueros ante Veneris vsum, vel mulieres quæ menstruis carent, adoritur. Quæcunque pars tum hic, tum in superiore vicio, morbo patet, ea debilior fit, & emacrescit. Podagræ dolores, cessante inflammatione, intra dies quadraginta conquiescunt: ijdemque magis Autumno, atque Vere mouentur. Coxæ autem dolor (Græci ἰσχιάδα nominant) altius ad summam natem, non in magno eius artitulo defigitur, inde in femur quoque sese, & in suram, & in extremũ pedem extendit. Idem interdum circa inguina inhærescit, & vrinæ difficultatem lacessita vesica parit. Ipsum verò crus modò calidum, modò frigidum est. Rarò euidens emergit tumor, minus sæpè calor aut rubor. Id autem vicium grauiorem præ cæteris generibus dolorem mouet: fereque post longum morbũ, inclinata in coxam materia, gignitur. Porrò longissimum erit, atque nequaquam anno finiendum, si ingens tor por subest, & crus, coxaque, & lumbi multum frigent, aluusque nunquam nisi vbi coacta est, respondet, & nil nisi stercoraceum mucum reddit: si denique arrigi pudendum non potest, hominisque ætas annum iam emensa quadragesimum

Ποδάγρα

Prognos.

Ισχιάς.

Prognos.

mum est. Huic vicio succurrere ver atque æstas potest. Parum sperare vel hyeme, vel autumno licet. Iunioribus æquè graues dolores atque senioribus, at non æquè longa morbi huius spacia sunt: ante quadragesimum enim diem iuuenes liberantur: minus etiam vehementes his torpores fiunt, minusque crura, ac lumbi frigent. Iam verò si sub eodem morbo dolor lumbos, coxamque deserit, & ad inferiorem vertitur partem, sperare vtique bene licet: sin contrà, coxa, lumbisque non desertis ad superiora peruenit, rem difficilem esse testatur. Quòd si eo iam ipso in vetustatem incidente fœmoris caput elapsum extra coxam est, protinus fœmur contabescit, homoque nisi vstus est, claudicat. Obseruatum haud rarò est, ex hoc coxæ dolore natum hydropem esse. Sanata podagra, atque ischias,, facilè reuerti consuerunt: at cæterorum vicia articulorum, non item.

Humerus affl. Vbi in humerum articularis doloris tormentum incubuit, nullus euidens tumor, vel calor, vel rubor est: vbi cubitum aut genu affligit, multum & doloris, & tumoris exhibet, at ruboris, caloris{que} perexiguum.

Cubity et Genu

Obseruationes in vicijs cutis vtiles.

VArijs incommodis tædij{q}; plenis nostra expositia cutis est, quæ, quamuis per se periculo vacent, fœda tamen esse, & propter malum fieri corporis habitum solent.

ſolent. Primo itaq; loco ſcabies ponatur, ξυσμός græcè appellata, durior illa ſcilicet cutis aſpritudo, leuisque exulceratio pruriens, & interdum rodens. In hac puſtulæ oriuntur modò humidiores, modò ſicciores: his ruptis, vlcus fit. Id purgata ſanie cruſtula tectum obdureſcit. Eo autem grauius malũ eſt, quò magis cutem aſperat, quoque prurit magis, & quò plures occupat partes, & quò ſomnum magis aufert. Prauis ea radicibus, quæ talis eſt, nititur, magnoque negocio tollitur. Itaque hanc Græci ἀγρίαν, id eſt, feram nominauerunt. Scabies omnis alijs quidem ex toto deſinit, alijs certo anni tempore reuertitur: Ægerrimè autem in ſenibus ſaneſcit, peſſimaque eſſe in capite ſolet. *Scabies.*

Hoc vicio grauior impetigo eſt, dura nimirũ, aridaq; cutis aſpritudo, multa moleſta pruri gine. Ea ferè vel manus occupat, vel pedes, habetque ſpecies numero quatuor. Ex his minimè mala eſt, quæ ſcabiem repræſentat, in qua aſperata cutis rubet, ſubduraque eſt, & eroden te pruritu, laceſſitur. Id cõmuniter pruriginem vocant. Peior eſt ea quæ aſperior, rubicundior, & maiores puſtulas exhibet. eſtque ea veſtra impetigo, quæ græcè λειχήν appellatur. Prorſus autem hîc varia cutis figura eſt, & roſio maior, multæque ſquamulæ decedunt, tum ipſum etiã malum latius vagatur, celerius ſerpit, certioribus temporibus & fit, & ceſſat. Tertia autem longè hac atrocior, peiorque eſt, quæ circum tempora oritur, aut certè ibi eſſe deſinit, neque *Impetigo.*

vnquam

vnquam ex toto posse tolli videtur. Præcrassa cutis est, longæque durior, ac magis tumens, eademque siccitate dehiscens, passim finditur: magis etiam eroditur, squamulas subnigras remittit, furfuribus similes: istud vicium Græci ψώρας dicunt. Pessimum, atque insanabile quartum impetiginis genus est, quod græcè λέπρα appellatur: id erosione latius procedit, totumque cum subiecto humore subalbidum est, ac speciem recentis cicatricis repræsentat: adhæc cutis fissa ac vehementer dura est, ex qua cú squamulis (quas ea habet subalbas vel pallidas) sanguis fertur. Facile Lichen neglectus, in psoram: & hæc, in lepram vertitur. Ferè paulatim emarcescunt hi quos semel vel psora, vel lepra contaminauit. Impetigo hoc à scabie distat, quòd siccas pustulas habeat, omnis tum humoris, tum saniei expertes: contrà scabies habeat.

Ψώρα.

Lepra.

Vitiligo.

Nunc de vitiligine dicam, in qua cutis alienis maculis, ijsq; non continuatis, at variè disiunctis vagantibus sque fœdatur. Sub hoc vicio sensus affectæ partis vel obtorpescit, vel totus amittitur. Est autem generum id duorum, scilicet, & λευκή. Sub priore, summa tantum afficitur cutis, estque maculis quibusdam ceu vmbra obscurata, fitque hoc modo Alphus vel albus vel niger: itaque nouissimus hic Melas appellatur. Porrò Leuce longè altius totam cutem, non tantum summam prænendit, magisque quàm Alphos albet. Pili è cute excidunt, & vicissim nascuntur noui, tenues, albi & omnia

ἀλφός.

λευκή.

nia lanugini ſimiles. Alphos vix vnquam, niſi cum inueterauit, cutem penetrat. Leuce non ſolum hanc, ſed ipſam etiam ad oſſa vſque affi-cit carnem: ille curationem non difficillimam habet: hæc vix vnquam remedijs tollitur, aut ſi certè tollitur, ſemper eo loco praui relinquit coloris veſtigium. In Leuce cani pili ſunt: in al-pho naturales. Ex hoc, vbi quis locum acu pu-pũgit, cruor fertur: ex illa, ſanies aquoſa dun-taxat: vtrunque autem vagatur, verùm in alijs citius, in alijs tardius. Experimento diſcitur vtrum ſanabile quid horum ſit, nec ne. Nam cutis inciditur, aut intromiſſa pũgitur acu: tum ſi cruor promanat (quod ferè in vtroq; Alpho fieri diximus) ſperari curatio poteſt: ſi tenuis, ſubalbaque ſanies, non poteſt. Æquè inanis o-mnis medicina eſt: ſi id vicium inueterauit: ſi magnum ſpacium multaque occupat corporis loca: ſi altè intra carnem demerſum eſt: ſi locus ex toto colorem amiſit ſuum, ac quiduis potius quàm ruborem habet: ſi denique aſpero panno perfricta cutis, colorem non mutat. Omni vi-tiligini malus iungitur corporis habitus, quem qui habet, is huic vicio magis opportunus eſt.

Exanthematum quoque hoc loco proponen-da obſeruatio. Hæc vbi quidem intus immo-rantur, nondum tamen foras emerſerunt, talia fiunt. Totum corpus ſit graue, & punctionibus quibuſdam afficitur: dolor vehemens in capi-te, aliquis etiam in pectore, in faucibus, & in dorſo eſt: ſicco ore craſſum ſputum vix extúdi-

tur:

tur: oculi intumeſcunt: pruriunt nares: rauceſcit vox: ſpiritus difficulter, crebroque trahitur: totus vultus ardore, ruboreque quaſi efflorceſcit: inter hæc multa ſomni cupiditas eſt, oriturque febris Synocho non vſquequaque diſſimilis. Vbi verò id vicium foris quoque ſeſe in cute prodit, increſcunt quæ modò dixi omnia, præcipueque capitis dolor, & ſpirandi difficultas: ipſeque pulſus æquè vt antè creber, ve lox ac vehemens manet. Ferè autem incipiente eruptione, facies quibuſdam maculis imbuitur, quæ mox ſubeunte humore, vel aguntur in altum, vel in latum exporriguntur: illa, ſublimia exanthemata: hæc, lata vocamus: priora exulcerant, & pruritum mouent: quo certè lata carent. Id autem genus vicij, aut corrupti excremẽti deiectione, aut copioſis ſudoribus conquieſcit. Vix quiſquam hominum eſt, quin vel ſemel ſic laboret ante legitimam ætatem. Magis autem expoſiti exanthematis ſunt infantes atque pueri: ſeniores rariſſimè, & non niſi ſummo periculo ita ægrotant. Quanquam autem exanthemata in quælibet cadere anni tempora poſſunt, magis tamen Vere, & ſub Autumni finem oriuntur: idque humidis magis, quàm ſiccioribus corporibus. Tutiora autem ſunt quæ citò emergunt, (alijs enim protinus id accidit, alijs tertio, vel quarto, & interdum quinto poſt infirmam valetudinem die) & quæ citò (ſi ſublimia ſunt) matureſcunt, quæq; rubra, magnaque ſunt, minimeque ſibi mutuò contigua: adhæc

Prognoſt.

hæc quæ febrem non vehementem mouent, eamq; egressa ipsa finiunt. Cæterùm mala sunt, quæ lentè prodeunt, magisque si violacea sunt: sub his enim frequens fit syncope. Commoda quoque non sunt, quæ vel liuidi coloris, aut viridis, aut atri sunt, quæque iteratis vicibus modò emergunt, modò rursus occuluntur. Æquè mala sunt ea quibus ingens accedit febris, vehemensque spirandi difficultas, & inquietudo corporis, & multa sitis, & infirmæ naturę vires. Hisce ita concurrentibus, magna ex parte ægri pereunt, magisque si lata exanthemata sunt. Certæ mortis syncope est index, itemque vrina sub imbecillo robore viridis. Pernicioſum etiã est post cruentam vrinam, nigram mei cœpisse. Nihil æquè attentè obseruari, atque vox & respiratio debet. His enim integris, magna spes est: violatis, dubia. Quisquis huic malo succumbit, ferè tanquam ex angina præfocatus, moritur, aut certè propter tormina, aluique profluuium labascente natura exanimatur. Exanthemata sæpè sine vllo vitæ periculo, sine pestis nota in populum aëris vicio grassantur: sæpè hæc ipsa pestem, malasque iudicationes sanguineæ febris comitantur: rarò aliquis ex sublimibus moritur: multos lata tollunt.

Obseruationes in vicijs vtiles, quæ non certam partem aliquam, sed variam occupant.

INflammatio, quæ Græcis φλεγμονὴ dicitur, his sese notis prodit. Pars affecta tumet, pre- *Inflãmatio*

prementi digito renititur, tenditur, calet, rubet, & pulsanti dolore vrgetur: is morbus aut latente materiæ resolutione, finitur, quod optatissimum est: aut maturatione, purisque proüentu, quod probandum est: interdum citra hæc malignus esse incipit, quod pessimum est. Mala etiam curatione, in durum, sensusque vertitur expertem tumorem, quod bonũ non est.

Gangræna

Grandiorem inflammationem subinde gangræna, atque sphacelus consequuntur. In priore, pars emori incipit, tenditque ad innati caloris extinctionem: tum autem floridus inflammationis color perit, simulque dolor & pulsatio. In sphacelo autem (qui Latinis syderatio

Syderatio.

dicitur) pars sensum, motum, ipsamque vitam tota amisit, fitque prorsus nigra, mollis, putris, & malè olens, & cadaueroſa. Hic casus (nisi corrupti membri amputatione maturè succurritur) præceps exitium affert.

Carbunculus.

Vtilis quoq; in eo vicio obseruatio est, quod Græcis ἄνθραξ, nobis Carbunculus appellatur. Locus primum prurit, dein rubore picis, aut bituminis more splendescẽte efflorescit, & maximo dolore vrgetur: tum protinus pustula vel vna, vel multa oritur, flagrantissima, non nimiũ eminens, eaque nigra est, & interdum liuida, vel pallida. Hac rupta vlcus cum crusta gignitur, qualis inuri ferro candente solet, eademq; inflammatione cingitur, atque vi ardoris extorretur. Itaque cutis eo loco sic inferiori carni astricta, affixaque est, vt inde diduci ea, diuidiq; non

non possit: quæ in proximo sunt partes, caloris, doloris que incommodum consensu quodam omnes percipiũt: præter hæc, horrore subinde homo concutitur, ac febre perturbatur, cui multa accedit nausea, & somni cupiditas, & cordis tremor: ipse verò tumor nunquã suppurat, sed excidente tandem corruptæ propter exustionem carnis particula cauum accipit, & sordidum vlcus. Id genus mali acutum, & ex toto mortiferum est, magis que si febrem excitauit, si non longè à præcipuis absistit visceribus, in axillis scilicet, & in inguinibus. Metus enim est facilè id intrò reuersurũ: quod vbi incidit, in certo vitę periculo homo versatur, maximeque si plura etiam signa comitantur non bona. Sæpè etiam, cùm id vicium circa stomachum faucesue ortum est, subitò spiritum elidit. Minus lethalis carbunculus ruber est, atque hinc pallidus. Niger ex toto pestilens ac pernicios us est. Graue autem pestilentiæ tempus omnis penè carbunculus & antecedit, & comitatur, idemque tum penitus est exitialis. Qui verò aliàs oritur; is, etsi maximis quoque doloribus terrere posse videatur, curationẽ tamen non difficillimam habet.

Ερυσιπέλατος quoque proponenda animaduersio, tum simplicis, tum eius quod exulceratum est. Vtrique commune est horrorem ferè vbi incipit & febrem mouere, semperq; minus inflãmatione tum dolere, tum intumescere, perque corporis summa latè diffundi coloris esse Ερυσίπε-λας.

ex rubro flaueſcentis eoq; colore vbi digito vrgetur priuari, iterumque vbi laxatur imbui, ad hæc pulſationem non habere, multoque minus tenſionem, itemque ex vna ſede in aliam ſerpendo migrare, & locum quem obſidet, mordere atque vrere. Simplex Eryſipelas ardorem ceu quandam deflagrationem & ruborem ſine vlcere exhibet. Hippocrates, Aphoriſmorũ libro, ἐπιφλόγισμα: noſtri, ſimilitudine coloris ducti, Roſam vocant. Quod vicium is author per anginam peſtiferum eſſe ſcripſit, ſi poſtquam ſemel exortum in pectore eſt, ſubitò rurſus intrò reuertit. Cęterùm vbi exulceratum eſt Eryſipelas quod propriè ſacer ignis appellatur, cutis aliàs ſumma afficitur, in eaque cruſtulæ tanquam furfuraceæ oriuntur, aliàs tota vlcus ſuſtinet, ruptisque puſtulis ſaniem purulentam reddit. Eryſipelas ſæpiſſimè in facie verſatur, eamq; ſubinde ſerpendo, totam occupat, multumque tum intumeſcit, tum expanditur, ac, niſi remedijs ſuccurritur, rapere etiam hominem ſtrangulatu poteſt. Prauum quoque eſſe ſolet, quod propter confractum, aut nudatum os natũ eſt. Semper autem vtile eſt ab interiore parte ad externam Eryſipelas verti: peſtiferum ab hac ad illam demigrare. Ab eodẽ vicio putredo aut ſuppuratio inimica ſunt, id quod nunquã propè accidere ſimplici Eryſipelati ſolet, vt quod magis perſpiratione cuticulari latenter diſſipatur.

Ignis ſacer

Papulæ. Nunc propter cauſſæ affinitatem de papulis di cam

dicam, quas herpetis appellatione ſignificari video. Earum duo genera ſunt, alterũ ſimplex, & mitius: alterum exedens ac ferũ, quod ideo Græci ἀγριον dicunt. Simplex minimis puſtulis ſummam cutem exaſperat, leuiterque rodit, & rubore ſuffundit, & pruritu ſollicitat, in orbemque ferè procedit, ac plerunque ſaneſcente medio extrema longius vagantur. Id vicium, quoniam puſtulas exhibet milio ſimiles, græcè ὁ τῆς κεγχρίας ἕρπης appellatur. Vbi verò ferè papulæ ſunt quas Græci ἐσθιομένας, id eſt exedentes vocant, ſimiliter quidem, verùm magis cutis, nõ ſumma, ſed tota exulceratur: magisque, & roditur, & rubet. ex puſtulis ruptis vlcuſcula ſunt arida ſine ſanie, ſine pure. Vt hoc quoque nomine id vicium ab igne ſacro, cui alioqui omnia propè ſimile eſt, differat. Nam huic magnæ ſunt puſtulę, exulceratæ, humidæ, è quibus pus ſanioſum fertur. Papula omnis minimè omnium vlcerum, quæ depaſcẽdo ſerpunt, periculoſa eſt. Verum curationem difficilem et longam habet, maximè ea quæ minus rotunda eſt. Talis enim in impetiginem, niſi ſublata eſt, tranſit.

Οἴδημα tumor laxus & mollis, & albus eſt, ſine dolore, ſine calore, idemque digito preſſus foſſulam quandam reddit. Frequens id vicium pedibus, interdum & toti corpori eorum eſt, quos aqua inter cutem, aut tabes, aut malus habitus conſumpſit. Idem ſæpiſſimè reſolutum conquieſcit, nec rarò in nodos quoſdam & ex-

Laxus ſine ſenſu tumor. Oedema.

crescentia tubera degenerat. Promptius per hyemem crapulosis & senibus accidit.

Durus sine sensu tumor.

At verò ὁ σκιῤῥὸς prædurus ac renitens tumor est, ac sensus (si quidem exquisitus est) expers, colore inter rubrum nigrumque medio. Idem initio exiguus, paulatim ad grandiorẽ molem insurgit. Sæpè eo vicio iecur sæpius lienis tentatur non sine certo metu grauissimorum ac lethalium morborum. Interdum alijs etiam partibus accidit, quum perperã curata in ipsis inflammatio vel Erysipelas fuit. Recens schirrus, si premitur, doloris exhibet sensum aliquem, et locum medicinæ præbet: Consummatis sensu penitus caret, neq; tolli remedijs potest. Schirrus alijs resoluitur, alijs perpetuò durus manet, quibusdam etiam in cancrum vertitur.

Strumæ.

Finitimæ huic vicio sunt strumæ, Græcis χοίραδες appellatæ, duri scilicet glandularũ tumores, maximeque in collo, in quo longa serie disponuntur: vnde interdum ad alas perueniunt, itemque in pectus, & in mammas fœminarum: inguinibus etiam quorundã infestæ esse solent. Hoc ipsum vicium interdũ mitius est, tumque tumorem exhibet æqualem, rotundum, circumscriptum, non maximè durum, inflammatione doloreque carentem, omnia schirro similem. Porrò vbi vetus id graueque factum est, malignum vlcus, & serpens, & erodens accipit: vnde ipse quo compræhenditur aden locaque proxima exeduntur. Idem interdum malignitate adeò efferatur, vt haud multum à Cancri absit

abſit natura: tum febris etiã mouetur, tumorque eſt inæqualis, in quo pulſantes dolores inſunt, ipſæque venæ eminent. Idem manuum contrectatione fit peior, & per omnem vitam, quoniam non matureſcit, durat: ac ſiue ferro, ſiue medicamẽtis hæ ſtrumæ curantur, ferè iuxta cicatrices reſurgunt. Strumæ omnes magno negocio tolluntur, acciduntque maximè (quibus etiam minus noxiæ ſunt) pueris, præcipuè ſi breue his collum, & preſſa tempora, & largæ maxillæ ſunt. Adultioribus, magisque ad ſenilem ætatem prouectis, raræ quidem, at difficillimæ omnes ſunt ſtrumæ. Deteriores etiam eſſe volunt, quæ dolore carent.

Periculorum, & propter longam durationem plenum tædiorum cancri vicium eſt, Græci καρκίνον vocant. Tumor eſt durus, rotundus, inæqualis, aſpectu teter magis, quàm inflammatio nigricans, at non iuxtà feruidus. Idem latè circum circà dolet, qui quidem eſſe mollis intuentibus videtur: verùm tactui occurrit duriſſimus. Circa eum venæ interdum plenæ, vel pallidæ, vel liuidæ tenduntur, & quaſi incuruantur: ſic vt animantis cancri diductos pedes ſimilitudine quadam repræſentet. Vbi id malum incipit, forma ciceris exiguum eſt, durum, rotundum, obſcuri coloris, idque aliàs aliquo cum dolore & calore, aliàs ſine his: atque interpoſito ſpacio creſcens, magnitudine fabam, & hinc nucem iuglandem, aut quid his maius æquat. Idem tumor modò ſine vlcere, modò

Cancer.

cum eo est. Vbi id est, supra hæc quæ proposui, pars assiduè exeditur, eiusque profundum rosione suffoditur, corruptæ carnis exhibens formam, exitque sanies pestilentissima, tenuis, nigra vel fulua, copia, & odore obominabilis: vlcus ipsum inæquale, labijs cum tumore præduris & inuersis, concretaque humorum illuuie teterrimũ est: lenta febris assiduè tenet, creboque anima deficit, maximè si vicium non procul à corde est: interdum multus sanguis ex vlcere propter exesam venam fertur, semperque malum crescendo, donec occidat, serpit.

Scire autem licet, vt omnibus corporis partibus inesse hoc vicium posse, ita sæpius fœminarum accidere mammis consuesse, itemque ori, oculis, vuluæ, peni vel ano, magisque si menstrua diu suppressa sunt, vel si diuturnæ curatæ fuerunt hæmorrhoides, aut longa quartana febris afflixit. Vbi recens cancer est, neque adhuc dum aliquo in membro vetustate penitus insedit, curationis aliquam viam præbet. Quum verò id inueterauit, aut penitius etiam inhæresit, nulla medicina vincitur, magisque si simul etiam vlcus accessit. Sed & curationibus magis lacessitur quàm iuuatur: nam si ferro quis adussit, multo magis id tum concitatur efferaturque, & exitij caussam certi præbet. Tum etiã etsi scalpello excisum est, tamen post inductam cicatricem reuertit, crescitque donec vitam adimat.

Vulnus. Proxima nunc est vulnerum atque vlcerum obser-

obſeruatio. Tutiſſimum vulnus eſt, quod lineæ modò rectum, & in carne, & tantum diſciſſione illatum, non etiã colliſione eſt: præſtat enim acuto telo percuſſum aliquẽ, quàm retuſo eſſe. Malum autem vulnus eſt, ex quo aliquid exciſum eſt, aut alia parte abſciſſum, alia dependet. Omniumque peſſimum rotundum eſt. Lethale eſt quod cor accepit, vel cerebrum, vel ventriculus, vel iocinoris portæ, vel ſpinæ medulla, vel pulmo medius, vel tenuium aliquod inteſtinorum, vel circa fauces magnæ, tum venæ, tum arteriæ. Æquè certum periculum, at non æquè præceps affert, quod membranas, quibus cerebrum continetur, violauit, aut iocinoris craſſum, aut renes, aut lienem aut vluam, aut veſicam, aut ſeptum tranſuerſum. Anceps etiam caſus, & metu plenus eſt, in alis, & in poplitibus grandes venas intusque conditas ictas eſſe, itemque eas quæ ad anum, & ad teſticulos perueniunt: tum enim periculum omne in nimia vertitur ſanguinis profuſione. Non tuto etiam loca inania, & articuli, & quæ pars inter digitos eſt, itemque alæ, & fẽmen, & caput muſculorum, vel neruus, arteria, membrana, os, & cartilago vulnerantur. Periculo quoque ſubiacet quodcunque magnum eſt. Porrò ex omni vulnere facilius ſaneſcit puer, vel adoleſcens, q̃ ſenior: firmus homo, quàm impotens: quadratus, quàm nimius vel gracilis vel plenus: temperans, quàm vino, Venerique deditus. Vulnus citiſſimè ſaneſcit Vere, tar-

dius æstate, atque hyeme, tardissimè autumno. A vulnere distentio neruorum lethalis est. Malum etiam esse vulneratis compressam aluum Hippocrates iudicauit.

Vlcus. Quædam etiam in genere dici de vlceribus possunt, neque enim simplicia ea esse semper, sed & tumorem interdum collisionemque habere constat: eademque alias nimia carne, quæ super increuit, onerantur: aliàs varicibus implentur: nonnunquam duris labris ac decoloribus cinguntur. Non rarò etiam vbi facta cicatrix fuit, interposito tempore rursus inflammatione lacessuntur, ac disrumpuntur: maximeque is casus, vbi os subtus corruptum est, incidit: id quod hinc sciri licet, quoniam os primum pingue fit, dein nigrũ, vel carioſum. Iam etiam malignum esse vlcus (κακοήθες Græci dicunt) atque ægrè admittere cicatricem solet, quod δυσεπούλωτον vocant. Id magis fieri per praua corporis habitũ, aut per iocinoris lienisque affectiones compertũ est: ac tum ferè vel calloſa labra sunt, vel varices iuxtà inhæreſcunt ipseque fœdi homo coloris est. Fit quoque exedens subinde vlcus, quod sanas etiam carnes in vicino positas, non tantum corruptas, atterit, depascitque, Græcis νομὰδες appellatur. Id verò oriri maximè post ea cõsuetuit vulnera, quę medici imprudentia, mordacibus agitata medicamentis sunt: aut certè post ignem sacrum, postque eas pustulas quas acer bilis multo prurito excitauit. Huius ipsius generis ἡ φαγεδαίνα est,

φαγεδαίνα.

est, quæ latè vagando, cutem & primam tantum carnem exedit: vlcus etiam interdum est cauernosum, cuius osculum angustum est, fundum altè intrò descendit, ac latè sese in varios sinus tanquàm in cuniculos diffundit. Id modò intus durum callosumque est, modò nõ est. Vbi est, fistulæ nomen accipit, cuius multa haberi obseruatio potest: siquidem alia curatu facilis, alia difficilis, & quædam penitus incurabilis est. Expedita medicina est, cùm id vicium simplex atque recens intra carnem cõsistit, magisque si iuuenis aliquis ac firmo corpore est. Difficilis esse fistula iudicatur, quæ os, vel cartilaginem, vel neruum lesit: itemque ea quæ articulum violauit, vel ad vesicam, ad pulmonem, ad vuluam, ad grandes venas & arterias, vel ad inania loca, vt ad guttur, stomachum, pectus, aut intestina penetrauit. Sub his enim casibus, modò periculum anceps, modò certa pernicies est: idque multò magis, si senex homo, si ægrum corpus, aut mali habitus est. Ex eodem autẽ vlcere si plus materiæ fertur, quàm quod simplici spacio conuenit: scire licet plures intus sinus esse: atque hic, si sola erosa caro est, plus leue album, & maiore copia fertur: si locus neruosus, eiusdẽ quidem pus coloris est, verùm tenuius, & minus. Ab ipso neruo quod promanat, pingue, & oleo simile est, ad quod etiam dolores accedunt: si vena affecta est, cruor subinde puri miscetur: si os, tenuis inde liquor fertur. Ferè autem vt quoduis vlcus, ita etiam

Fistula.

id quod

id quod altum, anguſtum, atque calloſum eſt, ſi diutius anno durauit, os afficit. Id autem cognoſcitur, ſi, quod vltimo ſpecillo exploratur, renititur: ſic, vt non elabatur idipſum, verùm æquali n loco ſiſti videatur: tum enim leuis caries eſt. Si verò inæquale, atque aſperum ſubeſt, vehementius os eroſum eſt. Fiſtula omnis difficillimè ſaneſcit, præcipuè quæ inueterauit, quæque profundè inhæreſcit, & multos ſinus habet. Quodcunque vlcus inducta cicatrice ſemel curatum, paulò pòſt iterum rumpitur, id ad fiſtulam inclinat. Cęterùm vlcus adeò interdum fit malignum, atque virulentum, vt partem putrefactione corrumpat. Id ſanè viſcidum quid, aut carnem intus mollem habet, aut malè olenti obſitum cruſta eſt, ex quo teter vapor fertur, qualis è cadaueribus corruptisúe carnibus ſpirat. Tale verò vlcus eripere etiam homini vitam poteſt, & cùm vlterius efferatur, in exedentem ſphacelum verti. Porrò ſcire licet malum vlcus eſſe, quod diu durat, quodque morbis ſuccedit, itemque quod in ambitu glabrum eſt. Pilos autem qui ſemel defuerunt, iterum innaſci ſalutare eſt. Inimica etiam iudicatur à forti in vlceribus pulſu, ſanguinis profuſio. Si tumores ſupra vlcera ſubitò occultantur, idque in parte acciderit corporis anteriore, prorſus vel lateris acutus dolor, vel inſania timenda eſt. Quòd ſi id à tergo factum fuit: periculum à neruorum diſtentione, vel rigore eſt: optatiſſimumque inter hæc eſt, citam aluũ fuiſſe.

fuisse. Malum etiam signum est, multam exulceratis vigiliam esse, & spiritum difficilem, & sitim, & cibi fastidium, & febrem: itemque pus habere nigrum, aut fæculentum, & fœtidum. Animã autem deficere, pessimum omnium est.

Proximum est quædam de sanguine, sanie, atque pure communia vulneribus vlceribusq; dicere. Sanguis per se notus est. Sanies non solum hoc tenuior, verumetiã omnium quæ defluunt tenuissima, minimè glutinosa, subalbida, aut subrubicunda, Græcis ἰχῶρ dicitur. Quod hoc crassius, & magis glutinosum est, id nostri quidem virus, & ab eo vlcus virulentũ: Græci autem (quoniam albo propè melli simile est) μελικηρόν appellant. Cæterùm pus omnibus his crassius est, & albidius: nequaquam tamen sic glutinosum, vt sordes, quæ veluti concreta adhæresçit vlceri, vnde sordidum esse vlcus dicitur. Sanguis optimus est calidus, rubens, modicè crassus, non tenax. Malus est, nimium tenuis, aut crassus, liuidus, niger, aut pituita imbutus, aut varius. Sanies inutilis est multa, nimium tenuis, liuida, pallida, nigra, glutinosa, fœtens, calida, erodens: vtilior non multa, modicè crassa, subrubicunda, aut subalbida. Meliceria improbatur multa & præcrassa: huic contraria, tolerabilior est. Pus inter hæc est optimum, meliusque habetur, quo minus est, & quo crassius & albidius. Idemque probatur quod leue & æquale, & coloris vnius est, & nihil olet: quodque modo & magnitudini vul-

Sanguis.

Sanies.

Virus

Pus.

Sordes.

ni vulneris, vt tempori conuenit. Siquidem plus eius ex maiore vulnere, & nondum solutis inflammationibus fertur. At verò malum pus esse sciendum est, quod tenue atque dilutum seri colorem refert, magisque si protinus ab initio tale est: æquè vt si pallidum id aliàs, vel liuidum, vel fæculentum, vel fœtidum est. Illud quoque obseruari posse videtur, cruorem ex vulnere ferri, vel recente, vel iam sanescente: pus verò ex eo vlcere, quod ad sanitatem inclinat, saniem ex incipiente, atque crudo: virus ex maligno.

Varix. Nouissimè venæ proponatur, aut arteriæ dilatatio, quæ in hac ἀνεύρισμα, in illa nobis varix, Græcis κιρσός appellatur. Vtrinq; sanguine multo vasa implentur: sed in vena crasso, in arteria spirituoso: hîc magna, turgida, sæpeque molesta inest pulsatio: illic nihil horum: vtrinque pars sine dolore tumet, pressaque cedit, reditq;. Varici magis crura quàm cæterę partes patent, maximeque in fœminis, quæ vtero gerunt: & in his viris quibus soluta quartana, aut curata longa hæmorrhois est. Aneurisma modò in externis est membris, circa iugulum atque pectus: itemque in manibus, & pedibus: modò intus quoque inhærescit, præccipuè sub pectore iuxta lienem & mesenterium.

Ανεύρυσμα.

ME-

MEDICINALIVM OBSERVATIONVM LIBER III.

QVO II EVENTVS EAQVE PROPONVNTVR IVDICIA QVÆ TAM DE VNIVERSALIBVS HABERI MORBIS POSSVNT, QVAM DE PARTICVLARIBVS.

QVVM superioribus Libris morbos proposuerim, qui vel totis corporibus insunt, vel solam particulam occupant: proximũ nunc esse videatur, in genere quædam de vtrisque dicere. Neque enim parui referre arbitror, quæ cuiusque morbi vis, aut acumen, aut duratio, aut euentus sit, obseruare: æquè profectò, vt in quem alium aliquis verti morbus possit, quibus ætatibus magis accidere, quibus temporibus anni, quibus cæli tempestatibus, quibus locis. Nec inutile quoque videatur, ipsius ægri mentem, mores, orationem, insomnia, vultum, præcordia, spiritum, pulsum, appetentiam, victum, gestum, decubitum, ipsum denique habitum, omniaque corpore exeuntia in morbis omnibus intueri, & ex his obseruationes vtiles petere. Quæ quidem singula, quoad possum, nouissimo hoc libro proponam.

Morbi acuti & lethales.

Ergo acuti esse morbi, & perniciem afferre magna ex parte laborantibus solent, febris pestilen-

ſtilentialis, morbus attonitus, cerebri inflammatio, quam Græci φρενῖτιν dicunt, itemque veſicæ inflammatio, et neruorũ rigor, quem τέτανον vocant. Acuti quoque morbi, at commemoratis minus ſunt, minusque etiam pernicioſi, verùm ſic ancipites, vt modò occidant, modò ſaneſcant, febris ardens, lethargus, vua, angina, inflammatio lateris, vel pulmonis, itemq; ventriculi, iocinoris, lienis, renum, vteri. Cæterùm is morbus, quem χολέραν dicunt, æquè vt hi quidem anceps, at longe tamen acutior eſt.

Acuti morbi & ancipites.

Morbi breues & ſalutares.

Breues morbi ſimulque ſalutares ſunt, febris diaria, & tertiana intermittens exquiſita. Longi autem, & ſine periculo ſunt (niſi quid ipſis tamen acceſſerit) febris quartana, grauedo, reſolutio neruorum, morbus articularis, ſiue totum is occupat corpus, ſiue partem: adhæc, ſcabies, impetigo, cæteraque penè omnia cutis vicia.

Longi morbi & ſalutares.

Longi morbi & ancipites.

Longi & ancipites ſunt, morbus comitialis, melancholia, deſtillationes omnes, excepta grauedine: adhæc abſceſſus in pectore, coli dolor, alui profluuium, tormina, teneſmus, læuitas inteſtinorum, hydrops, ſubdurus in iocinore, in liene, & in renibus tumor, vlcus & calculus renum, & veſicæ: itemque hæmorrhoidis, & fœminarum fluor: ipſa demũ Elephantia, & Venereus morbus. At verò vt longi morbi, ſic etiã peſtiferi eſſe ſolent, febris hectica obfirmata, vlcus pulmonis, itemque ſubſtantiæ tum in hoc, tum in iocinore corruptio, tabes, marcor, cancer tum exulceratus tum occultus, & qui

Longi morbi & lethales.

& qui febrem acutã, aut durum iecur lienemúe secutus hydrops est, quæque intestinorũ læuitas torminibus accessit. Longus morbus cùm penitus insedit, æquè vt acutus difficilis est: & acutus quidem, quo vetustior: longus autem, quò recentior, eò facilius curatur.

Transitiones morborum aliorum in alios.

Morbi autem transire alij in alios interdum solent, idque priore aliàs cessante, aliàs manente. Itaque diaria febris in hecticã transire, & in putridam potest. Erratica autem, & ex varijs nata humoribus, sæpè in quartanam: atque hæc interdum in cotidianam vertitur: itemque quæuis alia febris in morbum articularem, vel in resolutionem neruorum, vel in abscessum. Febris verò ardens, & lateris inflammatio, & angina, transire in inflammationem pulmonis possunt: atque hæc rursum ad insaniam. Morbum quoque comitialem melancholia, atque hæc illum interdum excipit. Sæpè etiam lateris inflammatio, atque pulmonis, in pectoris abit suppurationem: itemque hæc in tabem, atque in alui fluxionem. Adhæc post longas destillationes, tabes: post sanguinis sputum, puris sputum: & post hæc tabes. Post morbum attonitum neruorum resolutio, itemque post coli dolorem: post hunc etiam, morbus articularis, vel comitialis, vel voluulus, vel hydrops. A lienis vicijs, & à sinceris deiectionibus tormina: ab his læuitas intestinorum, post quam hydrops: idem etiam post durum iecur atque lienem hydrops, & post auriginem, &

post

post malum corporis habitum, siquidem hic à pituita crudus est: à melancholia autem natus, magis in elephantiam vertitur. Post tormina, tinesmus, & vicissim post tinesmũ, si bilis sub-est, tormina: vel si magis pituita, coli dolor, aut voluulus. Post longum coxæ dolorem, claudicatio, itemque hydrops. Post fluorem etiam vterinum, & profusas hæmorrhoides, aut vndecunque immodicè promanantẽ sanguinem, hydrops: post cęcas hæmorrhoides, ani inflammatio: post grandissimã inflammationem, gangræna, atque sphacelus: post impetiginem, lepra, quam Græci sic nominant. Porrò qui morbus ex alio nascitur, is ferè occidit: à priore enim fatigata natura, secundũ sustinere vix posse videatur. Est tamen huiusmodi transitio interdum tuta. Nam pro valetudine est, pulmonis inflammationẽ verti in abscessum ponè aures, qui suppuret: aut certè in partibus inferioribus, qui ad fistulam perueniat. Febrem quoque continuam quæ vicesimũ iam diem excessit, rectè abcessus ad articulos natus excipit. Tuta etiã est post acutam febrem aurigo, si quidem molle præcordiũ & elapsus septimus dies est. Adhæc non incommoda febris post neruorum est resolutionem, itemque post horum distentionem, nisi ea siccitatem inanitionemque secuta est. Attonitum autem morbum, & coli dolorem, tutò neruorũ excipit resolutio: lippitudinem, alui profluuium: tormina, tinesmus: insaniam, varix, vel hæmorrhois, vel tormina:

Qui morbi commodũ alijs succedant.

mina: singultum, sternutatio: longas deiectiones, vomitio. surditatem, bilioſa aluus: ſanguinis in fœmina vomitum, profuſi menſes: lienis tumorem, tormina: dolorem præcordiorũ, qui ſine inflammatione ſit, itemque voluulum ex vrinæ natum difficultate, febris. Ac ſub his quidem caſibus ferè priorem morbum alter ſuperueniens depellit. Iam verò à viliori parte morbum ad nobiliorem verti, adeoq; ab ſummo corpore ad viſcera, vitæque penetralia tranſire, periculoſum eſt, æquè profectò, vt cùm ex calido morbo alius fit frigidus: veluti ſi poſt acutam febrem hydrops oritur, aut poſt iocinoris inflammationem prædurus in eo ſine ſenſu tumor.

Morbi difficiles, itēq; faciles.

Qui morbi ſub bonis ſignis non leuantur, & ſub malis remittunt, difficiles eſſe conſueuerunt. Semper verò benigniores ſunt hi, quorum principia affecti ſpiritus dedêre: peiores ex atra bile naſcuntur: ex alijs humoribus ancipites.

Præſagia recidiuæ.

Haud rarò ſemel curatus morbus reuertit. Id verò hinc ſciri licet: quoniam depulſo morbo, homo imbecillus manet: aut certè aſſumptum cibum non ſentit: quoniam neque appetit, neque concoquit, ſed multa nauſea afficitur, & ructu vel nidoroſo, vel acido. Æquè certum recidiuæ præſagium eſt, ſi inter hæc iſta, ſpiritus malè olet: ſi vehemens ſitis eſt, & multa vigilia: ſi præcordia, quæque iuxta ſunt loca, tument: ſi denique facies inflata eſt, maximè ad

palpebram ſuperiorem. Quæ omnia eò certius reuerſuram ægritudinem denunciant, quò euidentiora ijs temporibus ſunt, quibus eſſe vehementior morbus ſolet. Sed & ægritudinis genus aliquid ad prædicendam recidiuam facit. Facilè nanque hæ febres repetunt, quibus affuit inflammatio, tum cùm hæ quidem finirentur, calorem tamen, æſtumque in viſceribus aliquem reliquerint. Eiuſdem ordinis ſunt morbus comitialis, caligo, hemicrania, pertinax capitis dolor, deſtillatio, anhelatio quam ἄσθμα vocant, dolores renum, dolor colicus, morbus articularis, & huiuſmodi. Autumnus recidiuæ opportuniſſimus eſt. Quælibet morbi reuerſio tutior eſt, ſi malam victus rationem tantummodo ſecuta eſt, non etiam relictum à priore morbo vicium. Quo quid citius reuertitur, & quò vires ſimul infirmiores ſunt, eò peius eſt. Quicunque morbus ſubitò ſine ratione, ſine bonis ſignis finitus eſt, ferè redit. Porrò certis quibuſdam ætatibus, & anni temporibus, & cæli tempeſtatibus, & locis, certi etiam morbi magis eſſe familiares ſolẽt: quod cum alijs de cauſſis, tum ideo quoque obſeruatur: vt ſcire liceat, minore in periculo verſari ægrum, cuius naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, itemq; anni temporibus morbus conſentit. Ergo infantes, teneroſque etiamnum pueros vomitus exercent, *Primæ ætatis morbi.* tuſſes, vigiliæ, pauores, aurium humores, feruida oris vlcera, vmbilici inflammationes, & cùm illi dentire incipiunt, gingiuarum pruritus,

ritus, neruorum distentiones, alui profluuia, febres. Quæ omnia eò sunt grauiora, quò plenius corpusculum est, atque aluus magis impedita ac pigra. Vbi paulùm annis processum est, sic tamen vt nondum peruentum ad puberem ætatem sit, tonsillæ fiunt, & vertebrarum spinæ luxationes, anhelationes: itemque lumbrici, vrinæ stillicidia, calculi vesicæ, strumæ, verrucæ, pluraque alia tubercula. Vt primum pubertas venit, quædam ex his, quæ comprehensa sunt, incidunt, & febres longius trahunt, & sanguis è naribus fertur. Adolescentia morbis est exposita acutioribus, itemque comitialibus, & præcipuè sanguinis sputo, & post hoc tabi. Iuuenibus autem lethargus accidit, & lateris pulmonisque inflammatio, & anhelationes, & insania quam φρενῖτιν dicunt, & ardentes febres: adhæc longa alui profluuia, choleræ morbus, tormina, læuitas intestinorum, hæmorrhoides. Cęterùm senes exercent spirandi difficultas, frequens cum tussi destillatio, vertigo, morbus attonitus, nocturna vigilia, aurium, oculorum, & narium madores, & visus, auditusque hebetudo. Accedunt renum dolores, vrinæ tum difficultas, tum stillicidium, præcipueque læuitas intestinorum, tormina, cæteraque huiusmodi citæ alui incommoda. Sæpius etiam incidunt dolores articulares, totiusque corporis pruritus, ac malus habitus. Magna autem ex parte minus iuuenibus ægrotant senes: verùm semel diuturnis correpti malis, ferè opprimuntur.

Puerum morbi.

Adolescentium morbi.

Iuuenum morbi.

Senum morbi.

Longis morbis ſenectus, acutis adoleſcẽtia magis patet, ætas media tutiſſima eſt. Pueris maximè iudicantur morbi vel quadraginta diebus vel ſeptem menſibus, vel totidem annis: interdum etiam ad puberem ætatem trahunt. Poſt hanc autem ipſam qui manent, ac neque prima Venere, neque primis menſtruis finiuntur, longi eſſe ſolent. Porrò omnis ætatis hominibus, gracilibus magis accidunt tabes, deiectiones, deſtillationes, laterumque & viſcerum dolores: obeſis ſpirandi difficultas, & præfocatio, cuius occaſione interdum ſubita irruit mors: quem caſum vix accidere gracilibus poſſe hominibus conſtat. Tenue verò corpus, imbecillum: obeſum, hebes eſt.

Quando pueris morbi finiãtur

Qui morbi gracilibus, qui obeſis magis familiares.

Iam autem quod ad anni pertinet tempora, ſcire licet, etſi omnes morbi omnibus fieri temporibus poſſunt: Vere tamen eos magis incidere conſueſſe, qui humoris motu nouantur: deſtillationes intelligo, tuſſes, ſanguinis profuſiones, puſtulas, abſceſſus, omnia denique neruorum & articulorum vicia quæ modò accedere ſolent, modò rurſus conquieſcere. Iunguntur his lippitudines, inſania tum ea quam φρενῖτιν dicunt, tum quam μελαγχολίαν: morbus item comitialis, angina, impetigo, lepra, & huiuſmodi. Ver (quantum in ſe eſt) inter cætera anni tempora ſaluberrimum eſt, minimeq; exitioſis morbis opportunum. Multa ex his in Æſtatem incidunt: verùm habet etiam id tempus febres continuas, & ardentes, & tertianas

Morbi verꝛnales.

Morbi æſtiui.

nas multas, itemque lippitudines, vomitus, alui fluxiones, aurium dolores, vlcera oris, naturalium putredines, & quicquid sudore hominem resoluit: quod nouissimum quidem eò magis fuerit per febres procliue, quò Æstas Veri fuerit similior. Periculosior autem Æstas Hyeme, Autumno tutior est. Idem Autumnus vix vllo horum vacat morborum: sed febres etiam adijcit incertas, & quartanas: itemque morbos comitiales, insaniam, melancholiam, spirandi difficultatem, lienis tumores, hydropem, tabem, vrinæ difficultatem, voluulum, tormina, læuitatem intestinorum, & coxæ dolores. Autumnus plenus est periculorum, neque vllum æquè tempus morbis exitiosis & pestilentiæ patet. Ferè autem diutinis morbis fractos tollit, aliosque homines nouis incommodis, ijsque longissimis, ac potissimum quartanæ implicat. Idem tabidis longè inimicissimus est. Hyeme capitis fiunt dolores, vertigines, morbi attoniti, lethargi, grauedines, raucitates, tusses, & si qui in faucibus, in lateribus, & in imis visceribus contracti morbi sunt, eos exasperat. Idem tempus salubritate à Vere superatur: Æstate autem, multoque magis Autumno tutius est. Illud in genere nouisse licet, constantibus temporibus, & naturam seruantibus suam, constantes etiam morbos, & iudicij non difficilis nasci: incertos autem esse, ac difficulter iudicari, inæqualibus temporibus. Tum etiam, si talis pergat esse annus, qualem semel adeptus constitu-

Morbi autumnales.

Morbi hyemales.

tionem est, scire licet similes penè morbos sem per expectari oportere. Meminisse autem conuenit pueros, & his ætate proximos, ipso Vere, primáque Æstate, melioris esse valetudinis: senes, ipsa æstate ad aliquam vsq; Autumni partem tota: reliquo Autumno, itemque proxima Hyeme, eos qui in medijs sunt ætatibus.

Præsagia morborum ex cæli sūpta variis tēpestatib⁹

Varios etiam præsagire morbos, prout variè à sua natura anni tempora deficiunt, licet. Nam si Hyems sicca, Septētrionalibus ventis perflatur: Ver autem pluuium cum Austris successit: prædicere licet febres acutas æstate futuras esse, & lippitudines, & tormina, in fœminis potissimum, atque in his viris quorum humidior natura est. Si verò clementior Hyems Austros exhibuit, atq; pluuias: Ver autem siccum cum Aquilonibus fuit: prægnātes, quibus Vere partus fiet, abortu periclitantur: &, si quæ in tempore pariunt, imbecillum id quod excluditur, erit, morbosum, ac minimè viuax. Alijs hominibus lippitudines instabunt aridæ, & tormina, &, si seniores sunt, destillationes, quæ subinde occidant. Iam verò cū sicca & Aquilonaris Æstas, Autumnus pluuius, atq; Austrinus est: tum quæ proxima est Hyēs, capitis inferet dolores, tusses, destillationes, raucitates, & ipsam in nonnullis tabem. Quòd si antecedente sicca & Aquilonari æstate, ipse quoque siccus Autumnus Aquilonibus perstringitur: nō inutile quidem huiusmodi tempus ad commodam valetudinem humidioribus fuerit corporibus, maxime-

ximeque fœminarum : verùm ſiccæ lippitudines, & febres tum acutæ, tum longæ, & hi morbi quos atra bilis concitat, fiunt.

Porrò cæli tempeſtates, prout ſerenæ ſunt, vel nubilæ, vel pluuiæ, vel his aut alijs ventis perflatæ, aduentum variarum ægritudinum denunciant. Saluberrimum eſt cælum ſerenum atque purum. Itaque præſtare creditur ruſticum vrbano, agreſte pratenſi, mediterraneum maritimo, montanum paluſtri, terreſtre fluuiali, ſiccum pluuio, ſudum nebuloſo, meridianũ matutino, diurnum nocturno. Sub optimo cælo certior valetudo eſt, prioresque morbi (ſi qui fuerunt) promptius ſaneſcunt. Optimum vero Hyeme cælum eſt, quod omni vento caret: Æſtate quod Fauonijs perflatur. Poſt ſerenum cælum, optimum eſt id quod æquale eſt, ſiue frigidum, ſiue calidum. Peſſimum autem eſt quod variat maximè, eoque nomine multos Autumnus, qui cætera parte anni traxerũt, tollit. Rectè enim Hippocrates iudicauit: ſi eodem die modò calor eſt, modò frigus, Autumnales morbos expectari oportere. Semper autem pluuijs ſalubriores ſunt ſiccitates. In his tamen febres acutæ fiunt, & tabidi morbi, & lippitudines, & tormina; & vrinæ difficultates, doloresque articulorum. Pluuiæ verò longas febres exhibent, alui fluxiones, putredines, morbos, tum comitiales, tum attonitos, anginas, reſolutiones neruorum, cancros. Porro ex ventis ſalubriores ſunt Orientales, atque Septẽtriona-

Quod cælum ſaluberrimum.

les, quàm vel Subsolani, vel Austri: etsi ea res tamen pro regionibus variat. Vbi Aquilo cælo imperare incipit, prædicere licet dolores lateris & pectoris, tusses, faucium asperitates, alui & vrinæ compressiones, & horrores: sanum tamen corpus is ventus firmat, & vegetius mobiliusque reddit. Spirātibus autem Austris expectare conuenit oculorum caliginem, aurium hebetudinem, sensus tarditatem, vertiginem, grauitatem capitis, alui fluxionem, totius denique corporis imbecillitatem, atque pigritiem. Cæteræ tempestates cæli, prout vel Aquiloni, vel Austro propiores sunt, modò hos, modò illos potius morbos creant.

Qui morbi ab Aquilone, qui ab Austro fiant.

His ita animaduersis, proximū est ad ipsum spectare ægrotantem: qui, si in propria curatione officio non deest suo, & morem imperatis medici gerit, neque quicquam proficit tamen, grauiter vtique ægrotat: omnino autem contrarium fit, si, cùm nusquam in officio sit, mediocriter tamen habet. Eius quoque non constare mentem, imprimis graue est. Qui sic est, is, etsi parte aliqua corporis doloré habet, nullo tamen eius videtur affici sensu. In omni autem morbo hominem compotem mentis esse, bonum est. Aliquid etiam spectari in moribus potest. Tutum enim non est leni animo natum, asperum in morbo responsatorem esse cœpisse, aut quædam violenta manu facere eum, qui semper imperium in animum non difficile habuit. Turbulentus verò natura homo, etsi non modò

Officium ægroti.

Mens ægroti atque mores.

modò ferociter loquitur, verùm etiam desipit per febrem ardentem, non vsquequaque tamẽ periclitari videatur. Si quis supra modum, supraque consuetudinem vel loquax, vel taciturnus est, malum significatur: tacenti enim soporis, aut melancholiæ principium est: garrienti, delirationis. Iam verò falsis imaginibus propter vim morbi mentem turbari, sine magno metu non est: veluti cùm quis digitis micat, aut floccos festucasúe de stragulis legit, aut armatos adesse sibi hostes putat, malosúe dæmones, vel quid spectrorum huiusmodi. Longeque grauius est, si iudicio amisso necessarios vel domesticos non agnoscit: aut si quæ animus concupiscit, eorum ipse protinus homo obliuiscitur. Ad extrema autem ventum est, si inter hæc æger neque audit, neque videt, aut mouetur, extremis iam tum frigescentibus, & liuore fœdis.

Præsagia ex somno, atque vigilia.

Haud leuis etiam in somno animaduersio est: vbi is enim auxisse malum videtur, mortalis est: vbi leuasse, non mortalis. Ab eodem itaque delirium sedari, valde bonum. Pessimum est, ex toto ablatum eum esse: vis enim hoc modo infirma consumitur. Eo minus malus est, qui nocte non accedit, etiam si interdiu venit. Qui autem tantum de die fit, is melior esse matutinis temporibus censetur, ad tertiam vsq; diei partem. Æquè malum est somni nimietatem esse, sic vt quidam veluti sopor interdiu noctuque immoretur. Plenior per noctem somnus qui

delirio

delirio ſuccedit, quiſque cum frigore partium eſt extremarum, periculum oſtendit. Altus ſopor cum debili pulſu, & delirio, & extremis frigeſcentibus, mortalis eſt. Vt ſine modo continuatus ſomnus, ſic etiam nimia vigilia, malum ſignificat. Hæc enim, niſi dolorem afflictionemque ſequitur, delirij metum oſtendit. Quem longa vigilia confecit, huic tuſſim accedere, admodum periculoſum eſt.

Præſagia ex inſomniis.

Aliquid etiam in inſomnijs eſt. Nam ſi ea alia ſunt, quàm diurna negocia fuere, turbationem eſſe in corpore aliquam teſtantur. Itaque ſi incendia videri videntur, flaua luxuriat bilis: ſi verò fumus aut denſa caligo apparent, atra bilis abundat: ſi imbres, itemque nix, glacies aut grando obijciuntur, multa intus pituita eſt. Qui in fœtido ſe loco verſari putat, putrem is humorem intus fouet: cùm verò rubra quædã dormientibus per inſomnium obuerſantur, ipſiſque criſtas habere ſe gallinaceorum credũt, ſcire licet ſanguinem intus abundantem eſſe. Luna, ſi apparet ſub inſomnio, eas potius affectiões notat, quæ in corporis cauis ſpacijs ſunt. Sol, quæ in medio: cætera aſtra, quæ in ambitu. Si quid igitur horum offendi videtur, aut obſcurari, ſuoúe à circuitu ſiſti: quæ pars ſingulis debetur, in ea morbus verſatur: leuis quidem, ſi vel aër, vel nebula luminibus cæleſtibus impedimentum dedit: grauior, ſi aqua. Quod ſi ea ipſa ita ſuperari interiectis elementis videntur, vt penitus euaneſcant, metus eſt ægrum morbo

morbo ſuccubiturum. Cæterùm, ſi, fugatis obſtaculis, clara fieri ſigna ſplendidaque incipiũt, in multa ſpe eſſe homo poteſt: quum verò celerrimo impetu feruntur, inſaniæ metum oſtendunt: ſi deſcendere ad occaſum, itemque in mare præcipitare, vel in terram videntur, morbos etiam ſignificant. Turbatum mare, ventris affectum notat. Terram autem aquis inundari videri, bonum non eſt. Humidum enim id morbum arguit, multoque magis, ſi quis ſtagnis aut fluminibus mergi ſe putat. Peius eſt aridam terram, ac Solibus toſtam vidiſſe: magnæ enim id argumentum ſiccitatis eſt. Si quis per ſomnum auidè quid edere, aut bibere velle videtur, alimenti vel potionis ſignificatur inopia. Aquam puram potari videri, bonum: cætera pocula, malum. Monſtra verò apparere, aut armatos hoſtes, vnde ingens terror dormienti incutitur, morbum oſtendit, & inſaniæ metum. Ex æditiſſimo loco præcipitari videri, vertiginem minatur, morbumque vel comitialem, vel attonitum: vtique ſi tum quoque caput multo humore oneratur.

Sed miſſis nunc mentis erroribus, exteriora ægri intueamur, in quibus vultus locum habere præcipuum poteſt: is enim ſignis minimè dubijs affectum principũ partium commonſtrat. Ergo in omni morbo bene ſperare licet, ſi quis non nimium diſſimilem vultum ſani hominis retinet. In magnis malis, facies bona, metum morbi minuit: in paruis autem non bona, exauget. *Præſagia ex ægri vultu.*

auget. Extremum periculum ostendunt oculi vitio morbi concaui, collapsáque tempora, & nares acutæ, inuersæque imis partibus ac frigidæ aures, & cutis circa frontem intenta atque dura, color liuidus, aut niger, palpebrarum denique, & labrorum, & narium pallor. Hæc facies si vim morbi, non autem effrenatam secuta exinanitionem est, periturum ægrum intra triduum ostendit, maximeque si simul deiectiones, vrinæque pingues exierint. Frequentissimus hic vultus est, cùm maxima febris corpus extorret, colliquatque: præcipuè si iuuenis est, qui sic laborat, & negocijs implicitam vitam degit. Siue autem morbus acutus, siue longus ac magnus, vt tabes, faciem sic violauit: idque siue inter initia factum est, siue posterioribus temporibus, mortem, etsi non æquè vbique celerem, semper tamen certam præsagit.

Præsagia ex præcordijs.

Multum etiam obseruationis haberi ex præcordijs per morbos potest. Ea enim sine vllo sensu doloris æqualiter vtraq; parte mollia, magnã salutis spem faciunt. At verò metũ augent, si inflammata & dolentia, & dura, intentaque sunt: si inæqualiter dextra parte sinistraque affecta. Quòd si sic tumida sunt, vt digitis tamen cedant compressa, & non doleant, morbum quidem vt non periculosum, ita longum fore significant. Præcordiorum venæ si pulsant, aut turbationem, aut delirium portendunt. Æquè verò in omni morbo vtile fuerit, partes circa vmbilicum & pubem obseruasse.

Bonum

Bonum est enim crassitudinem eas habere, planamque ibi cutem esse: at verò emacruisse, atque liquatas esse, valde malum.

Circa decubitum ista quoque animaduertuntur. Si æger in latus aut dextrum, aut sinistrum pro arbitrio cubat suo, cruribus paulum reductis, & facilè conuertitur, conualescere posse videtur. Cõtrà verò periclitatur, si hians, & semper dormiens supinus præter solitum iacet, expassis manibus pedibusq; , aut si has partes disijcit, aut (quod peius est) si subinde ad pedes delabitur. Pedes autem nudare & manus, quibus vehemens calor non est, malum est, & summæ afflictionis indicium. Pronus decubitus delirium esse, aut dolorem iuxta ventrem ostendit. Haud leue etiam malum portenditur, si æger ex morbo debilis, nullum sustinere decubitum potest, sed erigi volens, sessionem expetit: aut si astantes auersatus, sese in vltimum cubile conuertit. Ex manibus etiam aliquid obseruatur, quas si sine caussa æger sæpius naribus admouet, tamquam inde absterfurus aliquid, nihil tamen cùm sit, malum id esse iudicatur: parque periculum est, si digitis floccos de stragulis vellere conatur, aut quæ in proximo pariete minuta eminent, carpere. *Præsagia ex decubitu corporis*

Iam verò quod ad totum corpus attinet, id nimium celeriter per morbos emacrescere: aut contrà, æquè bene habitum, morbo quantumuis diutius trahente, videri, malum est: prius enim, magnam naturæ infirmitatem: secundum *Præsagia ex toto corpore.*

dum, longam inualetudinem arguit. Æquè verò inutile est, modò calidum esse corpus, modò frigidum, modò his coloribus, modò alijs affectum. Diuturni enim id indicium morbi est.

Præsagia ex respiratione.

Sed corporis quoque ægrotantis intueri facultates, oportet, & ex his vtilia præsagia sumere. Spiratio itaque bona cùm in longis morbis, tum maximè in acutis qui cum febre sunt, & intra quadraginta dies conquiescunt, promittere salutem solet: difficilis autem, periculum minari. In primis verò horrenda spiratio est, quæ inæqualiter interciséque ducitur, vt dupla videatur aëris intra pectus reuocatio. Mala quoque & præfocans ea est, quæ hominem supinum esse non sinit, sed è cubili cogit consurgere: sub qua thorax atque scapulæ plurimum attolluntur. Ea autem difficilem destillationem, vel anginam, vel suppurationem, vel crudum pulmonis tuberculum comitatur. Magna autem & frequens, qua feruidus vapor ore, naribusque efflatur, vehementis sine obstructione incendij argumentum præbet. Itaque hæc per ardentes febres maximè editur. Frequens autem, & parua, infirmas esse vires testatur: aut certè impedimentum, quo pulmo vrgeatur, arguit. Proin inflammatis pulmonibus, aut lateribus, aut sepro transuerso, aut iocinore, aut liene, subinde talis esse deprehenditur. Magna autem, & ex longis interuallis rara, insaniæ nota est. Perniciem autem minatur ea,

tur ea, ſub qua ſpiritus ex ore atque è naribus frigidus fertur: vbi ſpiritus vix ore, ſed totus penè naribus emittitur: magisq; ſi harum contrahi pinnæ, dilatariq́ue cernantur, certum oppreſſarum virium indicium eſt. Incumbente per febres morte, ſpiratio alta, crebra, & difficilis eſt.

Præſagia ex pulſu.

Nunc de pulſu dicam arteriarum, qui, quoniam cordis vitæq́ue nuncius eſt, magnas ad recta præſagia vires habet. Is enim ſi per morbos haud multum à natura defecit ſua, talisq́ue eſſe perſeuerat, validum corporis robur, ſpemq́ue ſecundæ valetudinis oſtendit. Optimus cenſetur is, qui medius inter magnum eſt, & paruum, inter celerem & tardum, inter crebrum & rarum, inter vehementem & languidum, inter mollem & durum, inter plenum & vacuum quiq́ue bonam ictuum inter ſe proportionem, æqualitatem, ordinemq́ue retinet. Idem hic varijs de cauſſis ſuæ naturæ legem amittit, prout vis eſt ægrotantis, aut vſus pulſationis, aut affecta arteria. Magnus pulſus vſum ſequitur inauctum, naturæq́ue vim: ſed prius quàm à naturali ſtatu in magnum degeneret, primum fit is, qui omnium naturæ facillimus eſt creber, creſcenteq́ue magis vſu etiam celer. Si imbecillus ſub his caſibus homo eſt, magnus eſſe deſinit, fitq́ue cum crebro paruus & languidus. Dura etiam arteria pulſus non admodum eſſe celer poteſt. Contraria autem ratione de paruo dicendum eſt, ſub quo vis infirma eſt, &

Optimus pulſus.

Magnus pulſus.

Paruus.

nequa-

nequaquam vrgens vſus : hîc primò rarus, dein, creſcentibus imbecillitatis cauſſis, tardus, & tum paruus eſſe incipit. Ad tarditatem quoque & raritatem facere ſiccitas arteriæ poteſt.

Durus, itẽque mollis. Durus etiam pulſus arteriæ notat duritiẽ, mollis humiditatem. Itaque hic peculiaris eſſe ſopori, lethargo, pulmonis inflammationi, mollibus viſcerum tumoribus, aquæ inter cutem, ſimilibusque morbis ſolet.

Robuſtus. Robuſtus vehemensque pulſus, ægrotis ſpem ſecundæ valetudinis oſtendit:

Lãguidus. languidus, exitij metum. Scire autem licet, non tantum periculi in pulſu verti maximo, vel celerrimo, vel creberrimo, vel vehementiſſimo, vel molliſſimo : quantum in eo qui minimus eſt, maximeque tardus, rarus, languidus, durus. Hi enim nunquam ſine graui periculo ſubſunt. Ex priore ordine, optimus quidem vehementiſſimus eſt, dein maximus : prauiſſimus autem eſt, maximè mollis. Ex poſteriore autem deterrimus, languidiſſimus : poſt quem tardiſſimus, & rariſſimus, atque hinc minimus. Languidus autem omnis ſemper naturæ ſignificat imbecillitatem, quæ imbecillitas ſi longa vetuſtate morborum contracta eſt, reddit eundem etiam pulſum paruũ, rarum, atque tardum, ſi quidem febris deeſt: & crebrum, velocemque, ſi ea ſubeſt. Vbi imbecillitatem nimius dolor, aut vigilia, ſubitæue inanitiones intulerunt· pulſus ſupra languiditatem paruus eſt, & celer, & creber. Si autem non in ſe debilis, ſed aliqua re impedita, oppreſ-

oppreſſáque natura eſt: vt in magnis fit grandium vaſorum obſtructionibus, itemque in repentinis humorum in præcordia confluxionibus, & in ipſis denique peſtilentialibus febribus: pulſus maximè continenterq; eſt inæqualis, idemque præter languiditatem, paruus, tardus, & rarus: tametſi ſubinde paucis ictibus vel vehemens, vel magnus, vel celer, vel frequens apparet, qua in re maxima eius deprehenditur inæqualitas. Semper autem maior imbecillitas eſt, ſi pulſus intermittit: maxima, ſi is ipſe deficit. Idem hic ſi non recurrit, ſed ex toto deficit, (quod ἀσφύξιαν Græci dicunt) horrendiſſimus eſt, & certæ mortis index. Plerisque omnibus vita defuncturis ſub nouiſſimum ſpiritũ accidit: quibuſdam aliquot ante eum horis, & interdum (quod mirum videri poteſt) pluribus etiam diebus. Minus autem periculi in eo vertitur, qui ſenſim gracileſcẽs minuitur, (Græci μύουρον appellant) Hic aliàs reciprocus eſt, aliàs non eſt: vt vt eſt, magno ſemper metu terret. Et quidem ſi non reciprocat, deterior etiam deficiente reciproco, iudicatur. Haud leue quoque diſcrimen intermittens pulſus habet, qui quò diutius à motu quieſcit, eò periculoſior eſt: & cùm duarum tempus pulſationum intermittendo tranſigit, mortem denunciat, niſi alicui tamen is pulſus ſecundum naturam eſt: quanquam in ſenibus, longa febre, vel anhelatione affectis, itemque aliàs in pueris, obſeruatum eſt, poſt intermittentem pulſum,

Deficiens.

μύουρος.

Intermittens.

vitam manſiſſe, id quod nulli contigiſſe iuuenum credibile eſt. Longè hoc pulſu formidabilior, & certior exitij nuncius exiſtimatur, qui in vna intermittens pulſatione eſt. Intercurrens autem pulſus, bonam iudicationem morbi pollicetur, & futuram ſalutem: vtique ſi cætera quoque ſigna reſpondent. Bis feriens, ſeu interciſus, calidum humorem, eumque vehementer putrem & facultatem non penitus inualidam ſequitur. Vndoſus, morbos denotat nimio humore corpus irrigantes, febres ſcilicet cotidianas, & continuas has, quæ perpetuis ſudoribus hominem labefactant, τυφώδεις Græcis appellatos conſtat: itemque id genus hydropis, quod ipſi λευκοφλεγματίαν dicunt. Tum in hiſce febribus, tum etiam in alijs, vndoſus pulſus ſudorē antecedit iudicialem, ſi quidem plures ſunt ictus alti, & vehementes, notæque concoctionis cernuntur. Sub vndoſo pulſu, neque viſcerum ſubeſſe inflammatio, neque durus in his ſine dolore tumor, minusque vel diſtentio neruorum, vel nimia ariditas poteſt. Eundem pulſum in vermiculantem (qui ab illo ſola differt paruitate) verti tutum non eſt. Tum enim vis, etſi nondum deficit, tamen paulatim labaſcit. Idem vermiculans attritam vacuatione naturam comitatur, itemque pulmonis id vicium, quo ipſe totus putris nimio ſcatet, oneraturque humore: vtique ſi iam tum quoque vires corpori infirmæ ſunt. Quemadmodum de vndoſo dixi, ita quoque dicere de

Intercurrēs

Bis feriēs.

Vndoſus.

Vermiculans.

vermi-

vermiculante oportet, quod vterque mollem requirit arteriam: neuter depræhendi in tabe, in inflammationibus, & duris, ſenſuque carentibus viſcerum tumoribus, & in ſuppurationibus pectoris, ne propinqua quidem iam morte, poteſt. Nulla febris, niſi quæ leuiſſima eſt, ac lenta vermiculantem pulſum exhibet: quoniã creſcens calor, tardam eſſe arteriæ diſtentionẽ non permittit. Proin poſt intemperatam inanitionem ortus vermiculans, ſi febris accedit, tollitur. Vt verò vndoſus ſi debilior fit, á vermiculante excipitur: ita vermiculans, à formicante. *Formicãs.* Quare hic quoque incommodi plus, quàm ille portendit. In febribus autem lentis, quæ non vi, ſed ſpacio, longaque vetuſtate vires exhauſerunt, mortis eſt nuncius. Tum hic ipſe, tum vermiculans, vbi ab ijs cauſſis fiunt, quæ vim corporis ſubitò exoluunt, iterumque corrigi non difficillimè poſſunt, non æquè magnũ metum inferunt. Ad quem caſum expoſiti ſunt ij, quibus propter balnei calores anima deficit, aut vires, ob profuſum è vulnere, aut naribus ſanguinem, ſubitò collabuntur. Caprizans autem pulſus, naturæ notat robur, & ſecũdæ ſpondet valetudinis expectationem: niſi tamen poſterior pars diſtentionis fuerit languidior: tum enim anceps naturæ morbique pugna eſt. Hecticus, pertinacius immoratur, ac morbum longum, ſiccumque, ac malè ſanabilem oſtendit: peculiaris eſt tabidis aut aliqua demum ratione emaciatis. Serratus, inflammationes ſequi-

Caprizãs.

Hecticus.

Serratus.

tur, præcipueque partium neruosarum: quare etiam lateris inflammationi familiaris est. Idem eò peior, quò manifestior est: id quod nimia tensio & durities facit. Est etiam comes crudorum intus tuberum, quæ hominem subinde tollere, vbi multæ vires non suppetunt, solent: nisi si ea tamen tempestiuè suppurant. Rarò conuulsiuus incidit pulsus, idemque periculum habet: præcipuè si post magnam vacuationem, famem, febres ardentes, similesue ærumnas oritur. Tutior est is, qui protinus inter morbi initia repentè incidit. Accedit etiam ad inflammatorios cerebri affectus, & ad id maximè genus insaniæ, quod φρενῖτιν dicunt, itemque ad morbum comitialem, ipsis ægris (contrà quàm in syncopa fit) sub corporis calore morientibus. Vibratus autem, seu turbulentus pulsus in ægrotis qui magnas inflammationes, vel tenacissimas patiuntur obstructiones: itemque neruorum distentionem, naturæ cum morbo pugnam ostendit. Tremens pulsus, vel qui verè est talis, vel ex trementibus ad carpum musculis, si vi morbi, non ex natura inest, syncopen præsagire, & mortem solet. Idem semper languidus est: ac paruus. Ordo in bonis pulsibus, bonum: in malis (tametsi quidam non mediocres viri repugnant) malum significant: tantoque semper ordo magis improbatur, quò pulsus simul deteriores sunt. Illud in genere noüisse oportet, pulsum morientibus non eundē omnibus esse. Alijs enim prorsus is ante obi-

Cõuulsiuus

Vibratus.

Tremens.

Pulsus morientium.

tum

tum ceſſat: alijs ad nouiſſimum propè ſpiritum deficiens eſt: alijs non talis, ſed creberrimus fit, & minimus, & languidiſſimus: quibuſdam μύουρος eſt: nonnullis intermittens: alijs formicans: alijs vermiculans.

His ita animaduerſis, proximum eſt, appetentiam, aut faſtidium ciborum, omnemque denique victus rationem contemplari, atque inde præſagia, iudiciaque morborum depromere. In omni morbo, ſalutis nota eſt, bene ad ea ſeſe habere ægrum, quæ vice cibi potionisque offeruntur: contrà male habere, periculoſum eſt. Prauis aſſumptis, ſi nihilo æger habet deterius, tolerabilis morbus ſubeſt: verùm omnibus rectè oblatis, ſi non modò æger non iuuatur, ſed etiam offenditur: ſcire licet id difficilis morbi indicium eſſe. Si quis per initia morborum cibos auerſatur, aut etiam iuxta ſtatum, viribus etiamnum ſufficientibus, nihil terreri debet: verùm quæ declinantibus morbis, cibi oriuntur faſtidia, aut aliàs etiam viribus admodum inualidis, periculo non vacant. Eadē ſub longa inualetudine peſſima ſunt: ſed & in conualeſcentibus recidiuam minantur, magisque ſi vnà frequens acidus ructus eſt. Poſt morbum, ſi expetitis & ſumptis epulis, homo neque corpore, neque viribus proficit, malum eſt: nam plus eſtur, quàm par eſt. Verùm, ſi idem caſus modicè comedenti accidit, ſcire licet inanitionis eum egentem eſſe: quo auxilij genere niſi ſuccurritur, metuenda recidiua eſt.

Præſagia ex appetētia & faſtidio ciborum.

Nempe ea scilicet, tum demum procliuis est, cùm quædam in corpore post iudicationes relinquuntur. Iam autem in ipso etiam morbo, quicunque initio probe comedit, nec proficit tamen, is tandem ferè ciborum vrgetur fastidio: contrà qui magna prius vsus inedia, cibum postea concupiscit, is morbo facilius liberatur.

Præsagia ab excrementis.

Sequitur nunc eorum obseruatio, quæ corpore excluduntur: sputum dico, alui excrementum, vrinam, sudores, quibus omnibus sic comparatum est, vt, cum imbecilliter & diminutè, paruaque portione efferuntur, mala sint: magisque, cùm propinquè inter se inuicem prodeunt. Quinetiam tum ingentem ostendunt metum, cum prauæ quoque notæ comitantur: sin minus, morbi longitudinem. Illud ferè commune est, quicquid exit, cuiuscumque sit substantiæ, aut molis, aut qualitatis, quocumque etiam id fiat vel modo, vel tempore, semper salutem promittere, si post notas fertur concoctionis, si die iudiciali, si cum ægri leuamento: quod contrà vacuatur, id pessimum atque mortiferum est. Sputi, atque eius, quod vomitu extunditur, animaduersio superiore libro proposita est: quare hoc loco deiectionem tantummodo, & vrinam, & sudores exequar.

f. 58.

Præsagia ex deiectionibus.

Ergo optima deiectio est, mollis, cohærens, compactaque, & subruffa, quæque odore similem aluum sani hominis non excedit: quæ denique iustæ molis pro ratione assumptorum est & eodem tempore, quo per secundam valetudinem

dinem redditur. Mala autem est, nimium dura, aut liquida citò diffluens, aut consistentiæ inæqualis. Bona quoque non est, vehementer vel ruffa, vel alba: hæc enim cruditatem arguit illa morbum biliosum: tametsi ruffa non incommodè eodem declinante morbo æditur, abscedente, quæ hunc fecit, materia. Viridis quoque deiectio mala est, æruginosæque soboles bilis. Nigra autem, atram bilem: liuida validum notat in internis frigus. Pinguis item tuta non est: quemadmodum nec viscida, ac tenax. Sub vtraque enim (nisi si talia assumpta sunt) corpus liquescit. Quæ verò malè olet deiectio, commoda non est, vt quæ caloris magnæque putredinis habetur nota. Mala quoque spumosa est, aut quæ more stercoris bubuli flatibus plena ac leuis est. Spumosa quoque incommodum magni intus feruoris ostendit. Adhæc noxa non vacat, quæ vel pauca, vel nimia est. Varia autem, qualis ramentosa est, & abundè biliosa, & cruenta, & purulenta: adhæc prassina, & nigra, mala est. Peior est, si similem etiam odorem stercoris infantis habet. Quocunque morbo incipiente, si atra deijcitur bilis, vel etiam per os euomitur, lethale est. Sub acuto morbo spumosa aluus, & vndique biliosa, admodum mala est. Splendentem sanguinem dejci, maximè si qui antè dolores tenuerunt, periculosum est. Liquida deiectio vel aceruatim, vel paulatim incidens, nocet: altera enim nimis imbecillum facere hominem, altera vigilem so-

let. Mala quoque per morbos acutos aluus aquosa est: magisque, si sitis deest. Eadem sopore detentis atque torpore, pessima est: itemque his, quibus vnà venter in tumorem intenditur. Ex liquida deiectione refrigeratio cum sudore, malum: quæ verò in morem atri sanguinis nigra est, siue cum febre, siue sine hac, admodum mala est. Pestifera etiam esse consueuit, quæ sensum ægri fugiens elabitur, aut quæ subitò præter rationẽ in eo homine vbertim profluit, quem longus morbus labefactauit. Obiter etiam aliquid de ventris flatu dicam, quem præstat sine strepitu elidi: nam si is acuto in morbo strepit, dolorem arguit vehementem, vel ipsum certè delirium. Malum etiam est, flatum iam iam erupturum impeditum esse: peiusque, ad superiora reuertisse.

Præsagia ex vrina.

Nunc ad contemplationem veniam vrinæ, quam scire licet optimam esse, cuius subaureus color, substantia mediocris, iusta secundum potionem moles, sedimentum album, leue, & in acutum fastigiatum est. Vrina autem alba, cruditatem, aut magnam esse in vrinarijs ductibus obstructionem docet. Eadem in acutis febribus delirium portendit: aut certè eam insaniã, quam græcè φρενῖτιν dicunt. Ferè etiam si hæc ipsa diu nihil variat, frigida prænunciat vicia capitis, vt vertiginem, vt morbum attonitum, vel comitialem, & huiusmodi: fastidia quoque arguit ciborum, & dolores in articulis, & neruorum resolutionem. Alba remissior, vt lactea, &

Vrina optima.

Vrina alba

glauca,

glauca, incipientibus, & increſcentibus febribus reddita, copiam putris materiæ, naturæque laborem demõſtrat. Quod ſi hęc diutius fertur, longi frigidiq; indicium morbi præbet. Tenuis autem vrina, & diluta, vereque aquea, morbi diuturni nota eſt: & quidem ſub hoc, ſi diu talis ea cernitur, cæteris ſignis ſalutem ſpondentibus, dolorem abſceſſumque in partibus fore ſepto tranſuerſo inferioribus indicat: eadem in pueris peſſima eſt. Subaurea ſeu ruffa, ſeu citrina, vt modò retuli, probæ concoctionis notam habet, omniumque (ſi ad colorem ſpectes) eſt media. Hanc ſequitur flaua, & mox rubra, exacti caloris teſtes. Rubra perſpicua, quæ etiam igneſcens, flammeaque dicitur, ardentem indicat febrem, aut iecur immodicè calẽs: eadem ſi nihil habet ſedimenti, vel nubeculæ, febris principiũ, cruditatemque materiæ commonſtrat. Ac ſi quidem diutius per acutam febrem talis fertur, periculum etiam interitus, priuſquam ſpacio matureſcat, minatur. Rubra autem, ſimulque craſſa & obſcura, qualis obſtructo viciatoque ferri iocinore, & decedentibus febrium acceſſionibus, ſolet, flauam ſubeſſe bilem, aut rubram, aut vitellinam oſtendit. In Synocho itaque putrida, nunquam penè talis non meitur. Rubram vrinam ſequitur vinea, & paſſea: illa aſſati ſanguinis, hæc toſtæ bilis nuncia: ambæ ſimilem vuæ nigræ colorem adeptæ. Magna autem ex parte, ſi ſic diutius feruntur hæ, auriginem prænunciant. Viridis autem,

Ruffa.

Rubra.

Rubra perſpicua.

Rubra craſſa.

Vinea, Paſſea.

Viridis.

tem, corruptissimæ bilis nota est: ad quam si vehemens sitis, atque æstus accedunt, periculum
Veneta. à distentione neruorum est. Veneta autem vrina, humoris frigidi, sicciq́ue soboles est. Liuida, pereuntis exhibet natiui caloris indicium:
Liuida. quamquam plagas interdum sequi, & accepta verbera potest. Nigra vrina, si rubram viridemq́ue sequitur, extremi caloris index est: si post
Nigra. ceruleam, & post liuidam fuit, summæ frigiditatis. In vtraque mortis periculum vertitur, idq́ue eò maius, quò ea ipsa est paucior, quoque id, quod in ea subsidet, nigrius est. Cæterùm, vbi morbus ex atra bile natus præcessit, vtpote lienis tumor, quartana, melancholia, & huiusmodi: tum profectò nigra vrina (maximè sub istorum morborum decessu) certam spem se-
Cruenta. cundæ valetudinis facit. Vrina cruenta, quæ scilicet cùm refrixit, sedimẽtum veluti sanguinis concreti habet, renes à calculo atteri significat: vtiq, si hi nullo ictu, aut casu percussi fuêre. Quæ mali coloris vrina est, quò ea copiosior, hoc minus mala est. Post vrinæ autem colorem, eius quoque obseruanda substantia est.
Tenuis. Ea si tenuis est, cruditatem, arctamq́ue esse obstructionem testatur: maximè si simul etiam diluta est, qualis spectari in quartana, & ingrauescentibus renum doloribus solet. In febribus autem longis, & incertis, & non magnis, si diu tenuis vrina meitur, lienem esse affectum con-
Crassa. stat. Cæterùm crassa vrina copiam ostendit crudorum hũmorum, qui magna ex parte iocinoris ca-

ris cauum, itemque inteſtina & ventriculum obſident. Crudiſſima eſt tenuis aquoſa ſic permanens: minus hac cruda tenuis eſt, quæ pòſt craſſeſcit: hanc ſequitur & micta & perſiſtens craſſa: quæ ſub firmis viribus, morbi longioris: ſub inualidis, mortis præſaga eſt. Rurſus minus cruda cenſetur craſſa reddita, quæ pòſt ſedimentum deponit: ea nempe breuiorem fore morbum ſignificat. Omnia verò genera hæc cruditatem arguunt, & morbi principiũ, eumque ipſum (ſi quidem diutius hæc immorantur) longũ & iudicationis non expeditæ. Si accedente primum febre, vrina craſſa meitur: copiam materiæ, virium infirmitatem, & periculum oſtendit. Craſſa & alba crudæ ſoboles pituitæ eſt. Ea ſi in longis laborioſiſque febribus, quæ in abſceſſum eſſent abituræ copioſa profluit: ab abſceſſu & à dolore liberat. Craſſa & ſubrubra vrina, magisque ſi tale quoque nacta ſedimentũ eſt, tutum quidem morbum, at longum fore portendit. Craſſa verò & penitus rubra qualis in febribus cernitur continentibus, multitudini ſanguinis atteſtatur: tametſi ea res non vſque certa perpetuaque eſt. Nam ſæpè non abundante ſanguine talis vrina fertur, tum in quartana & tertiana intermittente, tum in aurigine. Quod ſi ſine hoc caſu, vrina craſſa rubraque in febre ad quadrageſimum vſque diem manet: ſolui profectò febris ante diem ſexageſimum non poteſt. Craſſa & nigra, in totum exitioſa eſt: eoque magis, quò pauciore reddi-

Craſſa alba.

Craſſa ſub rubra.

Craſſa rubra.

Craſſa nigra.

tur

tur mole. Tuta tamen esse interdum, & salutaris potest, vbi declinantibus (vt superius retuli) atræ bilis morbis, noxius humor robore naturæ excluditur. Quo crassior in morbis acutis vrina est, eò deterior est. Iam etiam cruditatis nota plus terrere in vrinæ consistentia, quàm in colore debet. Quæ vrina lentore, crassitieque oleum, vel etiam commota refert: liquescere corpus, vel tabe, vel hectica febre, vel hydrope significat. Si vrina prius splendida, externo frigore crassescit, & matulam alba lentaque sorde onerat, iterumque igne soluta, colorem recipit suum. in acutis morbis cœptam esse concoctionem ostendit, alioqui nullius præcipuè notæ est. Si verò vrina ex sese, qualis iumentorum est, crassa, turbidaque meitur, neque igne soluitur, & huic multa innatant corpuscula ex pure aut muco conflata, quæ per quietem specie crassi sedimenti descendunt, reliqua tum ferè inclarescente vrina, scire licet in renibus vlcus, vel in vesica, maximeque calculi caussa esse: aut certè has partes crudo humore præpediri. Quod si integris his, sic turbida vrina est, crassi humoris totis venis abundantiam, morbosque longos & difficiles ostendit: maximè verò capitis, iudice Hippocrate, vel præsentes vel imminentes dolores. Quinetiam hinc interposito tempore sequi vel lethargus, vel altus sopor potest. Sæpè cùm quartana soluitur, itemque iocinoris & lienis morbi, &, quum abscessus intus erupit, vrina repente turbida meitur.

Oleacea.

Crassa turbida.

Porrò

Porrò si vrina ita confusa est, vt nullis solui ignibus, nulla quiete possit: sed nec suspensum habere vllum, nec sedimentum videatur, continuas febres, easque periculosas, & malignitate graues commonstrat. Cæterùm molem quoque vrinæ obseruare non inutile est. Multa enim, aut copiam indicare serosi humoris, (vt in hydrope & diabete) potest, aut corporeæ molis consumptionem, vt in colliquantibus febribus, aut certè exiguam alui deiectionem. *Multa.*

Rectè enim Hippocrates animaduertit, ex multa per noctem mictione, paucam deiectionem sequi. Vrina pauca redditur bibentibus pauca, aut alia parte corporis abundè vacuatis, aut nimio calore laboreue exhaustis atque siccatis. *Pauca.*

Sæpè etiam itinera impedita esse, vel crasso humore, vel calculo, paucitas vrinæ docet. In acuta febre, quæcunque pauca redditur propter vim morbi, aut deficiente humido, aut expellendi facultate infirma, certæ mortis indicium exhibet. Quæ modò pauca vrina est, modò iterum copiosa, & interdum penitus cohibetur in acutis morbis, pessima: in longis multæ durationis nota est. Aliquid etiam in vrinæ odore est. Nam quæ fœtet, simulque crassa est, & alba, cum sedimento purulento, renum aut pudendi vlcus ostendit. Quod si hæc eadem mucum quiete deponit, & multo dolore excluditur, calculum esse in vesica monstrat. Qui fœtor non ab his locis proficiscitur, verùm ex altiore corpore venit, siue in rubra turbidaque vrina est, *Malè olēs.*

siue

siue etiam (quod rarius fit) in tenui atque clara, semper grauioris alicuius nota putredinis est. Nunc ad vrinæ veniam contenta, quæ generis non vnius sunt. Sedimentum quod ὑπόστασις græcè dicitur, incolumem naturæ calorem ostendit: idque eò magis, quò citius in emicta vrina cernitur. Sed discernere sedimentum, ab ea sorde non difficillimum est, quæ à renibus, vel à vesica descendens, vrinam turbat, & post in ea ipsa veluti crassamentum quoddam subsidet. Quod in medio suspensum est (ἐναιώρημα Græci dicunt) infirmiorem naturæ vim arguit: nubes, eò adhuc magis debilem. Imbecillissima ostenditur, si nihil vrina vel sedimenti, vel suspensi, vel nubecularum habet: estque ea res in ægrotis apprimè horrenda: sanis autem accidere interdum citra magnum incommodum potest. Porrò optimum sedimentum est, quod molle substantiaq; mediocri ad imum matulæ subsidens, album, leue, & æquale est: idemque latum inferius, & superius acuminatum. Optima quoque & suspensum, & nubes sunt, alba, leuia, & æqualia. Minus bonum suspensum est, quàm sedimẽtum: vtrumque melius nube est. Quodcunque autem tenue contentum est, crudatis & incipientium argumentum morborum præbet: crassum autem, multum esse materiæ non coctæ docet: tametsi id quoque iudicationem comitari longarum ægritudinum solet. Contentum rubrum, bilis caloris que soboles est. Venetum & liuidum, magis que etiam nigrum,

Vrinæ sedimentũ.

Suspensum vrinæ.

Nubes.

Sedimentum optimũ, itemque suspensum & nubes.

Contentũ tenue.

Crassum

Rubrum.

Venetum.

nigrum, oppressi naturæ caloris. Contenta bona, quò magis ad imum fidunt, matulæ tamen non contacto fundo, hoc meliora sunt. Quibus per morbos citò contenta in vrina cernuntur bona, hi citò quoque iudicantur. Omnia autem contenta inferiora, potiora sublimioribus sunt. Quæ quarto die in febribus nubeculam subrubram vrina exhibet, septimo liberat: modò reliqua etiam pro ratione respondeant. Tenuis autem vrina ac bilioſa, quæ vicissim modò melior fieri, modò peior videtur, longioris mali nota est: quæ si diutius sic fertur, periculum non leue habet. Vrina præter rationem colore, & substantia, & contentis matura, semper in morbis, potissimum acutis, suspecta est. Si quid boni in vrina subsedit, idque repentè non amplius sequitur: dolores & mutationes significantur. In febribus incertis nubeculæ nigræ, quartanam prænunciant. Proximum nunc est ea intueri, quæ vrinæ permiscentur. Si semen inest, id tenue ac leue est, semperque vrinæ innatat: pituita autem crassa, tenaxque, & cohærens est. Pus permota vrina dissoluitur, ac quoquouersum fertur. Vtrumque hoc quiete subsidet. Porrò si quædam in vrina quasi ramenta cernuntur, tostos esse in venis succos docent. Si similia capillis sunt, extorrentem in renibus calorem, tenacemque esse humorem testantur: Quamquam filamenta albis capillis similia sæpè in Venereo seminis profluuio, & fœminarum albo fluore cernuntur. Si veluti exiguæ innatare

itemque liuidum & nigrum.

Semen in vrina.

Pituita.

Pus.

Ramenta.

Capilli.

Caruncule natare carunculæ in vrina craſſa cœperint, renes docent exulceratos. Scabies autem veſicę
Furfuracea ſignificatur, ſi cum vrina craſſa quædam furfu-
Sanguis. ri non diſſimilia feruntur. Eadem ſi in tenui ap parent, colliquantem ardorem febris notant.
Arenæ. Arenarum autem mictio, calculum in rene, aut in veſica arguit. Si in vrina fœtida pus aut ſqua-
Squamulæ mulæ ſunt, veſica exulcerata eſt: ſin minus, ex torrens ex ſquamulis febris ſignificatur. Squa-
mulæ tamen tutiores, quoniã tenuiores, quàm furfuracea ſunt. Si in vrinæ ſuperficie quædam
Pinguia. pinguia ac araneorum telis quid ſimile innatat: aut ſi (quod leuiùs eſt) diuulſa, & tanquam ex oleo iniecta puncta ſunt, ſcire licet ardentiſſi-
ma febri, vel certè hectica, vel tabe corpus li-
queſcere. Si verò cumulatim hæc, breuiq́ eſſe cœperunt, calore renes occupante, eorum ſub-
eſt colliquatio. Peſſima ante rigorem oleacea
Vrinæ co- vrina eſt. Corona quoque vrinæ obſeruari non
rona. ſine cauſſa debet. Nam ſi hæc meliorem, quàm reliqua vrina colorẽ exhibet, ſalutem prænun-
ciat: ſi deteriorem, periculum. Tenuis, albaq́ue corona, aquoſi ſanguinis nota eſt: craſſa & alba, pituitoſi: ruffa, temperati: rubra, itemq́; ignea,
bilioſi & vehementer toſti: liuida atque nigra, melancholici. Itaque vtraque hæc peculiaris
tum morbo comitiali, tum melancholiæ eſt. Si
Bullæ. bullæ in corona multæ integra ſerie circumſi-
ſtunt, caput dolere oſtendunt: idq́ue eò magis, quò illæ coloratiores ſunt: & minus, quò magis albæ. Bullæ per vrinæ ſparſæ ſuperficiem, nihil

ſuper

ſuper capite ſignificant, ſolius cruditatis, obſtructionis, & imbecilli caloris nunciæ. Quibus in tenui vrina, & ſedimentis vacua, bullæ cernuntur: ferè hi longa, magnaque renum obſtructione affecti ſunt. Tum autem bullas has in craſſa vrina eſſe cœpiſſe melius eſt. Maiores bullæ, lateque per vrinę coronam fuſæ, dolores minui, qui prius fuerant, docent. Subeſſe autem deſtillatio creditur, ſi bullæ inſtar exigui grani paruæ in corona hærentes, agitata vrina, deorſum pelluntur, iterumque ad coronam aſcendunt. Illud in genere nouiſſe oportet, vrinæ colore, intemperiem ſignificari: ſubſtantia craſſa aut turbulenta, humoris vicium: confuſione, putredinem: admiſtis, certam loci affecti cognitionem.

Præſagia ex ſudoribus.

Nouiſſimè de ſudoribus dicam: quos eſſe bonos conſtat, ſi poſt notas concoctionis toto corpore erumpunt: itemque ſi per febres intermittentes, decedentibus acceſſionibus, aut per iudicationes continuarum febrium vbertim effluunt, morbumque vel finiunt, vel multum leuant: tum qui veluti guttis quibuſdam effunduntur, & euaporant, quique expurgatæ aluo ſuccedunt: &, iam craſſiore dempta morbi materia, id quod reliquũ eſt tenuioris, exhauriunt. Mali verò his contrarij ſunt, maximeque ſi ex capite ſolum, aut è fronte, ceruicibusue feruntur. Peſſimi autem ijdem hi ſunt, ſi ſimul etiam frigent. Siquidem in acuta febri, mortis iudices: in mitiore, longæ durationis ſunt. Mali

etiam iudicantur non continuati, sed intersecti: pariqúe ratione inutiles nimium multi, quiqúe morbum non minuunt. Hunc enim ipsum tum longum fore, manifestum est. Horrorem post sudores incidere, tutum non est. Sub exolutis viribus, atque syncope, pauco tenaciqúe sudore frontem madescere, valde malum: concidente verò iam tum pulsu, citæ mortis indicium est. Copiosi sudores calidi, frigidiúe, quiqúe continenter fluunt: frigidi, grauiorem morbum: calidi, leuiorem testantur. Ferè autem sic incidit: vt, cùm erupturi sudores sunt, primum ferri à capite incipiãt, ac deinpaulatim è reliquis membris. Magna autem ex parte, abundantius sudores posteriore corpore emergunt, quàm anteriore: & superiore, q̃ inferiore. Eos etiã magis somnus fundere quàm vigilia solet.

FINIS.

INDEX RERVM SVCCINCTVS,

QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR.

ABortus præsagia. 99
Abscessus præsagia in febribus. 14. et 16
AEgroti officium. 116
AEgroti mens atque mores. 116. Alphos. 102
Alui profluuium. 59. Anhelatio. 54
Angina. 39 Animi defectio. 55
Ani inflammatio. 69. Aneurysma. 110
Appetentia canina. 57. Aquæ metus. 28
Articularis morbus. 100. Ascites. 75
Attonitus morbus. 32. Atra bilis. 76
Atrophia. 21. Aurigo. 76
Boulimos. — — — — — 57
Cachexia. — — — — — 22
Calculus renum. 82. Calculus vesicæ. 86
Cancer. 107. Capitis dolor. 25
Carbunculus. 104. Caros, catalepsis. 30
Cerebri vulneratio. — — — — 40
Cibi cupiditas, & fastidium. — — — — 57
Chiragra. 100. Cholera. 59
Coli dolor. 65. Coli inflammatio. 67
Colis vlcus. 90. Coma. 30
Comitialis morbus. — — — — 30
Cordis palpitatio. 55 Cordis vulnus. 56
Deiectio cruenta quæ fit caussa iocinoris. 71
Delirium. 26. Destillatio. 35
Dierum iudicialium ratio. 19
Elephantia. 23. Erysipelas. 105
Exanthemata. — — — — — 103

Febris diaria. 1
Febris continens non putrida. 1
Febris continens putrida. 2
Febris continua. 2 *Febris ardens.* 3
Febris periculosæ signa. 3. & 10
Febris exitialis signa. 4
Febris longæ signa. 11. *Febris lenta.* 6
Febris tertiana intermittens. 62
Febris tertiana notha. 7 *Febris quartana.* 7
Febris cotidiana. 8. *Febrium implicationes.* 9
Febris semitertiana. 9. *Febrium tempora.* 12
Febris pestilentialis. 12 *Febris hectica.* 20
Fistula. — — — — — — — 109
Fœtus in vtero mortui signa. 99 *Furor.* 28
Gangræna. 104. *Gulæ vulnus.* 70
Hæmorrhoides. 68. *Hydrops.* 71
Ignis sacer. — — — — — 105
Imprægnationis impedimenta. 97
Imprægnationis notæ. 98. *Impetigo.* 102
Incubus. 31. *Inflammatio.* 104
Intestinorum læuitas. 61. *Intestinorũ vulnus.* 70
Iocinoris intemperies. 71. *Iocinoris imbecillitas.* 71
Iocinoris obstructio. 72. *Iocinoris schirrus.* 73
Iocinoris inflammatio. 73 *Iocinoris corruptio.* 75
Iocinoris vulnus. 81. *Ischias.* 101
Iudicatio febrium. 13. *Iudicationis signa.* 16
Iudicatio optima. 17
Iudicatio sit ne omnino futura. 18
Iudicatio in quæ incidat tempora, & in quæ mors. 18
Lethargus. 29. *Lence.* 102
Leucophlegmatia. 78. 22. a. *Lienes magni.* 22

Lienis

Lienteria. p. 61. b.

Fluor alb. p. 97.
Fluxus hepaticus. p. 71. b.

S. Maria

Hæmorrhagia nar. p. 38.
Hernia. p. 90. b.
Icterus. p. 76.

Dejectio cruenta & Iocinoris vitio fit. p. 71. b.

Lepra. p. 102.
Lypothymia. p. 55

Lienis vulneratio. p. 81.

Mala hypochondr. p. 27. b.

Ophthalmia. p. 37. a.
Oedema. p. 105.

Paralysis. p. 33. a.
Passio iliaca. p. 64. b.

Lienis tumor. 75. *Lienis inflammatio.* 76
Lippitudo. 37. *Lumbrici.* 67
Melancholia. 27. *Menstrua.* 96
Menstruorum retentio. 96
Menstruorum fluor. 97
Mesenterij tumor sine inflammatione. 70
Mesenterij inflammatio. 70
Mictio cruenta à renibus orta. 84
Mictio quæ à vesica, cruenta est. 87
Mola. 94 *Morbi acuti & lethales.* 111
Morbi acuti & ancipites. 111
Morbi breues & salutares. 111
Morbi longi & salutares. 111
Morbi longi & ancipites. 111
Morbi longi & lethales. 111
Morborum transitiones aliorum in alios. 112
Morborum mutuæ successiones. 112
Morbi difficiles, itemque faciles. 113
Morbi singularum ætatum. 114
Morbi singulorum anni temporum. 114. & 115
Morborum præsagia è cæli sumpta variis tempestatibus. 115
Morbi qui ab Aquilone, qui ab Austro. 116
Muliebris fluor albus. 97
Neruorum distentio. 34. *Neruorum rigor.* 35
Neruorum resolutio. 33
Papulæ. 105. *Partus difficilis notæ.* 99
Phagedena. 108. *Pectoris suppuratio.* 50
Pectoris vulnus. 55. *Peripneumonia.* 45
Peritonæi dolores. 67. *Pleuritis.* 41
Podagra. 101.

Præsagia ex somno atque vigilia. 117
Præsagia ex insomnijs. 117
Præsagia ex ægri vultu. 118
Præsagia ex præcordijs. 118
Præsagia ex decubitu corporis. 119
Præsagia ex toto corpore. 119
Præsagia ex respiratione. 119
Præsagia ex pulsu. 120. & 121. & 122
Præsagia ex appetentia & fastidio ciborum. 123
Præsagia ab excrementis. 123
Præsagia ex deiectionibus. 123
Præsagia ex vrina. 124. 125. 126. 127. 128. et 129
Præsagia ex sudoribus. 129
Prægnantium incommoda. 98
Phrenitis 26. Priapismus 90
Pulmonis vulnus. 55 Pulmonis erysipelas. 47
Pulmonis crudum tuberculum. 47
Pulmonis vomica. 48. Pus. 110
Ramex. 90. Recidiuæ præsagia. 113
Renum inflammatio. 81. Renum calculus. 82
Renum exulceratio. 84. Renum vulnus. 85
Sanies. 110. Sanguis. 110
Sanguinis è naribus fusio. 38
Sanguinis è naribus fluxuri signa. 15
Satyriasis. 90. Scabies. 102
Schirrus. 106. Seminis profluuium. 88
Septi transuersi vulnus. 55
Sideratio. 104. Singultus. 58
Spiratio difficilis. 54. Strumæ. 106
Sudoris signa. 16. Suffusio. 36
Syncope. 56

Tabes.

Præsagia ex cœli tempestatibus p. 118.

Pfora. p. 102.
Pulsus. p. 120.
Præsagia recidiuæ. p. 113.

Sanguinis sputum. p. 48.
Sordes. p. 110.
Spasmus. p. 34. a.
Suppuratio. p. 50. 52.
Suffocatio Hysterica. p. 95.

Tetanus. p. 33. a.

Tussis. p. 50. & 117. b.

Variola & Morbilli. p. 103.
Varix. p. 110. b.
Vitiligo. p. 102.

Vulnera. p. sequentia. p. 107. 108.

Vrina. p. 124. b.

Vngues hirsescentes. p. 52.

Tabes. 52.
Tenesmus. 64
Testiculi inflammatio. 92
Tonsillæ. 38
Tormina. 62
Tumor sine sensu laxus. Οἴδημα 106
Tussis. 53.
Ventriculi imbecillitas. 57
Ventriculi inflammatio. 59
Ventriculi vulnus. 70
Vesicæ inflammatio. 87
Vesicæ exulceratio. 87
Vomitus. 58.
Vrinæ fluor. Διαβήτης 85
Vrinæ retentio. κατάστασις 88
Vrinæ difficultas. δυσουρία 89
Vrinæ stillicidium. 89
Vrinæ incontinentia. 89
Vteri inflammatio. 92
Vteri exulceratio. 93
Vteri schirrus. 94
Vteri inflatio. 94
Vteri hydrops. 94
Vteri ascensus & descensus. 95
Vteri conuulsio. 95

Tabes dorsalis. 85
Voluulus. 64
Tympania. 79

Vlcera & morbi. 24
Vteri vulnera. 100. a.

FINIS.

ANTVERPIÆ,

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS KALENDIS IVNII,

M. D. LX.

R
M 216